446

E

135

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

MicroChamber® Beschermd KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

16.

MARTINI SCHOOCKII
DISSERTATIO SINGULARIS DE
MAJESTATE

KW 446. E135

Ad Diſputandum publice propoſita in *Academia Groningæ & Ommelandiæ.*



GRONINGÆ,

Typis VIDUÆ *Edzardi Agricolæ*, Provinciæ & Academiæ Typographæ Ordinariæ; Anno 1659.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

NATIONALE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Lectori Sal.

*DVm Academia exſpectat Philoſophiæ Practicæ Profeſſorem,
lugendo hactenus exceſſum Reverendi & non minus undequaq;
doctiſſimi, quam viri optimi D. Matthiæ Paſoris; ex conſen-
ſu univerſi Senatus Academici, Diatribas quaſdam ad Phi-
loſophiam activam pertinentes, & inter illas, hanc quoque
de Majeſtate publice propoſui; in qua quidnam præſtiterim, Lectori meo
dijudicandum relinquo. Si forte leguleius aliquis offendatur, quod præter
mentem ſuorum Doctorum, leges quaſdam Romanas adducam, digitum
non vertero; ſed eum ſolummodo moneo, legum inveſtigationi aliquanto di-
ligentius invigilet, atque ſi jura alios quoque doceat, non tam ſollicitus ſit
de Calliröe (quâ ſibi colligat ſectatores) quam de Edicto. Nunquam à me
impetrabo, ut eos ICC. eſſe putem, qui teſte Semone hujus ſeculi D. Salma-
ſio, in Animadverſionibus Heraldinis pag.* 21. nihil unquam præter
Treutleri Theſes, aut Paratitla Weſenbecii legerunt, ubi titulum
Doctoris, gratia aut mercede adepti ſunt, protinus ſe Juriſcon-
ſultos inſcribunt, & ſibi licere ſolis volunt de jure commentari &
reſpondere. *Ordo forte plurimos offendet: ſed ut illius mihi religioſe con-
ſtat ratio, ita non dubito quin eundem probaturi ſint, qui hanc Diſſerta-
ionem cum aliorum Politicorum prolixioribus Tractatibus componere volue-
rint. Mihi arriſit ſemper illud, quod habet Iuſtinianus Auguſtus in præfa-
ione Novellæ* XXXI. *ad Ioannem glorioſiſſimum ſacrorum per Orientem
Prætoriorum Præfectum, ubi Princeps interprete Gregorio Hoffman, alias
Haloandro, Germano Miſnico, ſic loquitur:* Perperam effuſeque po-
ita, ſi ad competentem perveniant ordinem, & bellè diſponan-
ur, aliæ propemodum res apparent, ſpecioſæ pro turpibus, or-
atæ pro incultis, articulatæ diſtinctæque, pro incompoſitis prius
z confuſis. *Iudicium meum de decantata lege Regia neminem quoque
fendat. Attendantur ſolummodo quæ in ipſis Theſibus propoſui: quibus ſuper-
ddo ad majorem comprobationem Strabonis locum in fine operis Geographici,
ui ita habet:* Αἱ δὲ ἐπαρχίαι διῄρηνται, ἄλλοτε μὲν ἄλλως. ἐν δὲ τῷ πα-
ντὶ ὡς Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς διέταξεν, ἐπεῖτα γὰρ ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐ-
τῷ τὴν προστασίαν τῆς ἡγεμονίας, καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης κατέστη κύριος

 διὰ βίου,

διὰ βίου, Δίχα διεῖλε πᾶσαν τὴν χώραν, καὶ τὴν μὲν ἀπέδειξεν ἑαυτῷ
τὴν δὲ τῷ δήμῳ. *Quæ ſic Latine redduntur in Editione Caſauboniana*
Provinciæ dividuntur aliter alias, nunc vero ita, ut Cæſar co
ſtituit Auguſtus. Nam is, cum civitas ipſi regimen imperii perm
ſiſſet, ita, ut dum viveret, eſſet pacis Bellique dominus, ter
omnes bipartito diviſit, partemque ſibi ſumens, alteram popu
reliquit. *Vbi ſingularem emphaſin habet verbum* ἐπιτρέπειν. *V. Gloſſ.* ἐπι
τρέπω: Permitto, ſuadeo. *Pariter Budæus, utriuſque linguæ calle*
tiſſimus in Comment. Ling. Gr. pag. m. 79. *ex Demoſthene notavit,* ἐπι
τρέπειν, *idem eſſe, quod* in arbitrium compromittere. *Adeo ut,*
te Strabone, ſcriptore gravi, atque præ alijs fide digno, per unam tolera
tiam Populi Romani Principes Imperium obtinuerint. Nec eſt, quod
quem offendat Vetus Inſcriptio, cujus mentionem facio Th. 43. *quam*
tot viri ſcriptis celeberrimi antehac allegarunt; ut exemplar legis Reg
repetitæ quaſi ſub Veſpaſiano, exhiberent. Sententiam meam de illa propo
quam nondum muto. Ad manum ſi eſſet liber viri ſummi, & à Magno
vio Vrſino tantopere æſtimati, Latini Latinij, de Comitijs. ex pag. 117
ſeqq. oſtendere poſſem, eum ſuſpectaſſe hanc ipſam Inſcriptionem ut
leſtam. Antequam mea argumenta adverſus illam adfero, initio oſten
dum obiter, inſolens non eſſe, ut viri cæteroquin eruditi decipiantur pe
ſcriptiones. Notum judicium Lipſij, Manutij, Schotti, aliorumque de Inſ
tionibus Cyriaci Anconitani, quæ licet quam ſpecioſæ appareant, ple
tamen fictæ ſunt. Exemplum habet Scaliger ad Euſebium Ed. 2. pag. 17
ubi ſequentia leguntur: *Antiquarii dicunt extare nummum Hadriani*
capite radiato; & inſcriptione: ΑΥΤ ΚΑΙΣΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟΣ ΑΥΓΟ
ΤΟΣ. *Ex altera ſuperficie* ναὸν ἑξάστυλον. *in medio Iovem cum fulm*
dextra, ſceptro & Aquila in ſiniſtra: ad dextram Minervam cum M
rio, ad ſiniſtram Martem cum Venere, & duas alias ſpecies in gr
Templi ſedentes. Inſcriptio: ΔΙΟΣ ΝΑΟΣ ΙΕΡΟΥΣΑΛΗΜ. *Ego*
verbo dicam, nullum nummum extare puto: aut ſi quem, eſſe παρα
μα, *& commentum impoſtorum.* Hæc Scaliger. *Sed argumenta*
ex ipſa Inſcriptione, in qua inter alia, veniendo ad Hypotheſin hæc occu
QVIBVSQVE SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT
MISERIT. EORVM COMITIIS. QVIBVSQVE EXTRA O

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

NEM. RATIO, HABEATVR. *Quibus verbis Author Inſcriptionis, Veſ-aſiano ad modum privilegij delatum fuiſſe fingit, ut quicunque ab ipſo ad onores oblati forent, quibuſcunque Pop. Rom. Comitijs, velut idonei, ad-nitti deberent. At, quam hoc ineptum? Vſque à Tiberio Imperatore Comitia bliterata, imo everſa erant. Teſtis Tacitus lib. 1. Annal. cap. 16.* Tum primum (*ſcil. ſub initium Imperij Tiberiani*) è campo comitia ad Patres tranſlata ſunt. nam ad eam diem, etſi potiſſima arbitrio principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant. *Vivo etiamnum Tiberio, omni Comitiorum Iure excidiſſe populum, ignorare nos amplius non ſinit Suetonius lib. 4. cap. 16. ubi ita de Caligula:* Tentavit (*inquit*) & comitiorum more revocato, ſuffragia populo reddere. *Ergo populus iure ſuo exutus erat. Si Populus vero jure Comitiorum exutus jam ſub Tiberio erat, quæ cauſſa, ut Veſpaſiano de ſuffragiis tribuum caveretur? 2. Spe-ciatim Inſcriptio hæc aliquoties meminit Auguſti, Tiberij, & Claudij, qua-ſi ſoli conſentiente populo regnarint, quum tamen Suetonius lib. 4. cap. 14. expreſſe ſic de Caligula loquatur:* Ingreſſoque urbem, ſtatim conſenſu Senatus, & irrumpentis in Curiam turbæ, irr: ita Tiberij volunta-te, qui Teſtamento alterum nepotem ſuum, prætextatum adhuc, coheredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi per-miſſum eſt, *etc. 3. Suffeciſſet meminiſſe unius Auguſti, quum illi, qui in alia omnia à nobis abeunt (videatur vel ſolus Lanſius de Lege Regia) velint hanc vexatam legem ſub Auguſto latam eſſe. 4. Inſcriptio docet, legem quaſi Regiam ſub Veſpaſiano Imp. renovatam eſſe, eique ſingulares prærogativas delatas eſſe præ alijs, qui eum anteceſſerant, Auguſtis. Sed obſtat Tacitus apud quem lib. 4. Hiſt. cap. 1. hæc offendas:* At Romæ Senatus cun-cta Principibus ſolita, Veſpaſiano decernit. *Si non niſi ſolita decre-ta fuerint, næ fides Inſcriptionis hujus vacillat. 5. In Inſcriptione ſequentia occurrunt:* VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PRO-MOVERE. CVM. EX. REPVBLICA. CENSEBIT. ESSE. LICE-AT. VTI. LICVIT. TI. CLAVDIO. CÆSARI. AVG. GER-MANICO. *An ergo ſolus Claudius Pomærium protulit? Imo præ hoc Au-guſtus. Audiatur Tacitus, qui lib. 12. Ann. cap. 23. ita de Claudio:* Et pomærium Urbis (*inquit*) auxit Cæſar more priſco, quo, iis, qui protulere imperium, etiam terminos Vrbis propagare datur. Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus ſubactis, uſurpaverant, niſi L. Sylla & D. Auguſtus. *Ad hoc, cur Pomærii dilatatio velut ſpeciale privilegium ceſſiſſet Veſpaſiano, quum libera rep. cuilibet, qui ſalutatus eſſet Imp. exercitus, hoc contingere potuerit? Nam ſecundum Gellium lib.* 13. *Noct. Att. cap.* 14. habebat jus proferendi pomærij, qui populum Rom. agro de hoſtibus capto auxerat. *In adverſarijs obſervavi, quoſdam in Inſcriptione legiſſe* fines pomærij imperij, *ſed, quod authores ad manum non ſint, ex his verbis argumentum urgere nolo. Alias hæc locutio admodum inſolens foret, prout colligere eſt ex Gellio l. d. Et hæc quidem ſunt, Benevole Lector, quæ amplius te monere volui. Quod ſupereſt, vale & conatibus noſtris fave. Errata occurrunt plurima, perte reſtituenda, quod offendere non poſſint. Speciatim legi velim p.* 8. *l.* 6. leg. 2. §. 2. ff. ad Sc. Velleian. *& ead. pag. l.* 14. leg. 100. ff. D. V. S. *plura ſi conarer reſtituere, correcturus Typotheta novis forte ſphalmatibus ea deformaret.*

Nomina Reſpondentium.

JOHANNES ROMPIUS, Oldamptius.
WILHELMUS TETTEMA, Groninganus.
HENRICUS SPANDOUU, Groninganus.
ALARDUS SCHEPEL, Omlandus.
FREDERICUS HOGEZAND, Groninganus.
JOHAN GODTFRIEDT RAAB, Cliviacus.
ULRICUS BESEN, Aurico-Friſius-Orientalis.
ABRAHAMUS SCHOOCKIUS, M.F. Daventrienſis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Aſpirante gratia illius, cui ſoli Majeſtas competit, aliquanto diſtinctius de Majeſtate agere decretum eſt: quod ut ex ordine fiat, à voce initium ducimus:

Thesis Prima.

PRincipio ergo, nobis quam arridet τοῦ πάνυ D. Caſauboni obſervatio, qui ita in Notis ad Trebellium Pollionem: *Eſt vero* MAJESTAS, *unum ex is: vocabulis Latinis, quibus nullum eſt in tota lingua Græca par, & ex æquo reſpondens.* A magnitudine vulgo dicta putatur Majeſtas. Sic enim Feſtus: *Majeſtas à magnitudine dicta.* Sed vere Caſaubonus l. d. *A magno fit magnitudo; Majeſtas ab eo dicitur, quod eſt majus.* Nam comparativa vox majus ſingularem habet emphaſin. Notum illud Pedonis Albinovani in obitum Mæcenatis verſ. 31.

Majus erat potuiſſe tamen, nec velle triumphos,
Major res magnis, abſtinuiſſe fuit.

Eoque ſoli Deo proprie convenit Majeſtas, poſtea in genere ratione hominum & definienda & dividenda. Præit ipſa Scriptura Pſalm. 104. v. 1. *Iehova Deus mi, magnus es valde, decorem & majeſtatem induiſti.* 1. Chron. 16. verſ. 25. & ſeqq. *Nam magnus Iehova & laudandus valde, & reverendus eſt ſuper omnes Deos. Quia omnes Dii populorum ſunt idola: Iehova vero cælos fecit. Decor & majeſtas coram eo, robur & gaudium in loco ejus.* Eſ. 30. 30. *Fecit Iehova, ut exaudiatur majeſtas vocis ſuæ.* Hebr. 8. v. *Talem habemus Pontificem qui*

conſedit ad dexteram throni (μεγαλωσύνης) *majeſtatis illius in cælis.* Sic
& Cic.ait.1.de Divinat. *Dij non cenſent eſſe majeſtatis ſuæ præſignifica-*
re hominibus quæ ſunt futura. Atque hinc Gentiles, Majeſtatem ut
Deam coluerunt, fingendo eam Honoris & Reverentiæ filiam
eſſe. Cujus pulcherrima deſcriptio extat apud Ovidium lib. 5.
Faſt. in his verſibus:

Pulcher honor, placidoque decens Reverentia vultu,
Corpora cum juſtis impoſuere toris:
Hinc ſata Majeſtas, quæ mundum temperat omnem:
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.
Nec mora: conſedit medio ſublimis Olympo,
Aurea purpureo conſpicienda ſinu.
Conſedere ſimul Pudor & Metus: omne videres
Numen ad hanc vultus compoſuiſſe ſuos.
Protinus intravit mentes ſuſpectus honorum:
Fit precium dignis, nec ſibi quiſque placet

Et paulo poſt:

Aſſidet inde Iovi: Iovis eſt fidiſſima cuſtos:
Et præſtat ſine vi ſceptra tenendo Iovi.
Illa patres in honore pio matreſque tuetur,
Illa comes pueris virginibuſque manet.
Illa datos faſces commendat, eburque Curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.

Propterea Gentiles non dubitarunt quoque Numinibus & ido-
lis ſuis deferre majeſtatem. Sic Epheſij in ſeditione Act. 29
com. 27. οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλ-
θεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰς οὐδὲν λογισθῆναι
μέλλειν τε καθαιρεῖσθαι τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς. Ubi Μεγαλειότης bene
à Veteri redditur *majeſtas.* Apulejus lib. Mil. 11. *Cum tota numinis ſu*
majeſtate. Juſtinus lib. 8. *Quod nihil ſine majeſtate Numinis ejus* &c. *geſ*
ſerant. Huc facit l. 2. §. 4. ff. de Recept. qui arbit. ubi ita Paulu
JC. *Sacerdotio obveniente, videbimus, an cogatur arbiter ſententiam*
dicere. id enim non tantum honori perſonarum, ſed & majeſtati Dei in
dulgetur, cujus ſacris vacare ſacerdotes oportet.

 II. Pot

II. Poſt Deum ſecundario quaſi majeſtas tribuitur hominibus, & quidem diverſimode. Vel ratione perſonæ: Vel ratione officii. Perſonæ competere Majeſtas cenſetur, quatenus abſque imperio perſonis certis adeſt ſumma authoritas & veneratio inter homines. Ita Valer. Max. lib. 2. cap. ult. *Eſt & illa*, inquit, *quaſi privata cenſura Majeſtas clarorum virorum ſine tribunalium faſtigio, ſine apparitorum miniſterio, potens in amplitudine ſua obtinenda: grato enim, & iucundo introitu animis hominum illabitur admirationis prætexta velata, quam recte quis dixerit longum, & beatum honorem eſſe ſine honore.* Ad quod probandum præ cæteris facit exemplum Marij, de quo idem Valerius loco d. *ſic loquitur*: C. etiam Marius in profundum ultimarum miſeriarum abjectus, ex ipſo vitæ diſcrimine, beneficio Majeſtatis emerſit. Miſſus enim ad eum occidendum in privata domo Minturnis clauſum ſervus publicus, natione Cimber, & ſenem, & inermem, & ſqualore obſitum, ſtrictum gladium tenens aggredi non ſuſtinuit, ſed claritate viri (*hæc Majeſtas perſonæ*) occæcatus, abjecto ferro, attonitus inde ac tremens fugit. *Hæc Valerius.* Sed tum imperio omni exutus, privatus cenſeri debebat Marius? Ratione habita hujuſcemodi Majeſtatis, Cato ad Ciceronem (epiſtola extat lib. 15. ep. 5. Epiſt. Fam. Cic.) hunc in modum ſcribit: *Atque hæc ego idcirco ad te contra conſuetudinem meam pluribus ſcripſi, ut, quod maxime volo, exiſtimes me laborare, ut tibi perſuadeam, me & voluiſſe de tua majeſtate, quod ampliſſimum ſum arbitratus, & quod tu maluiſti, factum eſſe gaudere.*

III. At miſſa Majeſtate perſonæ, accedimus ad Majeſtatem officij, ceu imperii, tanquam proprie hic conſiderandam. Ratione officij hæc competit Magiſtratibus: ſunt enim à Deo conſtituti, ut ejus, velut vicarij, in ordinanda terrena republica partes obeant. Signanter Apoſtolus Paulus Rom. 13. 1. *Non eſt* ἐξουσία, *poteſtas, niſi à Deo. quæ autem ſunt poteſtates*, ὑπὸ θεοῦ τεταγμέναι, *ſunt à Deo ordinatæ*, ſeu ordine diſtributæ: ubi etiam imperia elegentur nominat, διαταγὴν τοῦ θεοῦ, i. e. *ordinationem Dei*: à cauſa efficiente. Et v. 4. 6. Magiſtratum vocat διάκονον θεοῦ,

λειτουργὸν θεοῦ. Et æterna Sapientia: Proverb. 8. v. 15. *Per me reges regnant & dominatores decernunt juſtitiam.* Dan. 2. verſ. 21. *Ipſe* (Deus) *mutat tempora & tempeſtates; transfert reges & conſtituit reges;* &c. Et cap. 4. v. 32. *Dominatur excelſus in regno hominum, & cui vult dat illud.* Nam ut norat quoque Homerus Odyſſ. π.

ῥηΐδιον δὲ Θεοῖσιν, ἠμὲν κυδῆναι θνητὸν βροτὸν ἠὲ κακῶσαι.

Atque hinc Magiſtratus Dii quoque in ipſa Scriptura vocantur, ſpeciatim Exod. 21. 6. Exod 22. 28. Deut. 19. 7. Pſal. 82. 1. Pſal. 1. Præterquam enim, quod non judicant *pro homine, ſed pro Iehova*, qui *cum iis eſt in re judiciaria*, ut aliquando dicebat Jehoſchaphat rex judicibus, 2. Chron. 19. 6. amplius Deus ponit *Spiritum ſuum* (hoc eſt ſingularia Spiritus Sancti dona) *in illis*, Num. 11. 17. ut ſpeciatim videre eſt tum in Saule, alias hypocrita, 1. Sam. 10. verſ. 6. & 10. tum in pientiſſimo & integerrimo Davide, 1. Sam. 16. 13. ſic, ut mutentur quaſi in *viros alios*, prout dicitur de Saule loco dicto. Alias in hujus Ipſius poteſtate eſt, Magiſtratui contemptum procurare. Juxta illud Job. cap. 12. 21. *Qui effundit contemptum ſuper ingenuos.* ſimiliter Pſal. 107. 40. *Effundens contemptum ſuper ingenuos, facit ut errent per inanitatem aviam.* quod fit, ſubducta Majeſtate. Eleganter Tertullianus in *Apologetico cap.* 30. Nos (*inquit*) pro ſalute Imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi imperatores propitium ſibi præter cæteros malunt. Sciunt quis illis dederit imperium, ſciunt qua homines, quis & animam: ſentiunt eum Deum eſſe ſolum, in cujus ſolius poteſtate ſunt, à quo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes & ſuper omnes Deos. Quidni? cum ſuper omnes homines, qui utique vivunt, & mortuis antiſtant. Recogitant quouſque vires imperij ſui valeant, & ita Deum intelligunt, adverſus quem valere non poſſunt, per eum ſe valere cognoſcunt. Cælum denique debellet Imperator, cælum captivum triumpho ſuo invehat, cælo mittat excubias, cœlo vectigalia imponat. Non poteſt; ideo magnus eſt, quia cœlo minor eſt. Illius eſt enim

ipſe,

ipſe, cujus & cœlum eſt & omnis creatura. Inde eſt & Imperator, unde eſt homo antequam imperator, inde poteſtas illi, unde & ſpiritus. *Hæc ille.* Et iterum ad Scapulam: *Colimus Imperatorem, ſic ut hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem: ſic omnibus major eſt, qui ſolo Deo minor eſt. Sed & ipſe Deus major eſt, dum & ipſi in poteſtate ſunt ejus.* Gnarum id ipſum fuit Gentilibus, atque inde modo Διογενεῖς, modo Διογονέες, ab Homero, aut, quod eodem redit, ab Heſiodo in Theogonia διοτρεφέας Reges vocantur, quod graphice admodum Themiſtocles explicat Orat. 6. quæ ad Valentiniarum inſcribitur. Non inſubide Plutarchus in Comment. ad Principem indoctum, ſic per Interpretem *loquitur*: Quale vero elegantiſſimum in cœlo ſimulacrum ſui Deus Solem atque Lunam infixit: tale in civitatibus ejus exemplum eſt atque lumen princeps, Jura Dei ſimilis qui dat mortalibus æqua, ſcilicet recta præditus ratione, idque habens Divinum, non ſceptrum, non fulmen, non tridentem. *Hæc ille.* Atque inde Gentiles Scriptores, quando loquuntur de exceſſu virorum principum, dicere ſolent eos à Diis commodatos ad Deos rediiſſe. Exempla habent Horat. lib. 2. od. 2. Ovid. lib. 15. Metam. verſ. 448. Manil. lib. 4. Aſtron. verſ. 57. Vell. Paterc. lib. 2. cap. 123. Senec. Conſ. ad Polyb. cap. 31. Capitol. in vita Anton. Phil. cap. 18.

IV. Quod interim Majeſtas proprie & primo Deo conveniat Plin. in Paneg. Principi magnitudinem potius quam majeſtatem vult tribuere. Unde illud: *Vt enim felicitatis eſt, quantum velis poſſo, ſic magnitudinis, velle quantum poſſis.* Præ cæteris vero illuſtris *ſequens locus*: Locupletabant & fiſcum & ærarium non tam Voconiæ & Juliæ leges, quam Majeſtatis ſingulare & unicum crimen eorum, qui crimine vacarent. hujus tu metum penitus ſuſtuliſti, contentus magnitudine: qua nulli magis caruerunt, quam qui ſibi majeſtatem vindicabant. *Hæc Plinius.* Scio hunc locum Plinij vulgo alio trahi, ſed nobis aſſentitur Cl. Caſaubonus l. d.

V. Quum tamen ob rationem jam dictam, vulgo Principibus,

bus, imo magiſtratibus omnibus Majeſtas ratione officij tribui conſueverit, deſpiciendum ante omnia eſt, quidnam ea ſit? Deſcriptio illius vulgo accerſi ſolet è Cicerone lib. 2. de Inventione ſic loquente: *Primus ergo accuſatoris locus eſt, ejus nominis cujus devi quæritur brevis & aperta & ex hominum opinione definitio, hoc modo, Majeſtatem minuere eſt de dignitate, aut amplitudine, aut poteſtate populi, aut eorum, quibus populus poteſtatem dedit, aliquid derogare.* Ad quæ verba Marjus Victorinus antiquus Rhetor hæc ſubiicit: *Definitio eſt rei, de qua queritur.* Adeo, ut Majeſtas tria quaſi in ſe complectatur, atq; ſit *amplitudo, dignitas,* & *poteſtas.* Quanquã vero dignitas, eodem Cicerone l. d. teſte, *eſt alicujus pro cultu & honore & verecundia digna authoritas:* Hæc tamen deſcriptio nimis generalis eſt, quum etiam ad privatos trahi poſſit, quorũ multi vitã cum dignitate in otio degunt. Magiſtratus vero dignitas eſt honor legibus ſtabilitus, & moribus conformatus. Quo vero conſtet amplius, quid per amplitudinem & poteſtatem debeat intelligi, itemque quid inter duo hæc interſit, notandum, Ciceronem reſpicere ſtatum reip. Romanæ, florentis adhuc atque nondum ab Imperatoribus ſubactæ, quo tempore recepta erat hæc formula *Senatus auctoritas, populi poteſtas*, ut teſtis eſt ipſe Cicero lib. 2. de LL. & late probat Briſſonius lib. 2. de Form. Quanquam vero ſuprema penes populum poteſtas erat, ut patet vel ex jure Comitiorum ac legum rogatione, hac formula inſtitui ſolita; *Velitis iubeatis Quirites*: Senatus tamen hoc ipſum, quod populus iuſſerat, exequebatur, ejuſque authoritas, in eo conſiſtebat, ut quicquid agendum incumberet, ejus decretis ſanctiſſimis ageretur. Notandum ſiquidem, aliam rationem fuiſſe rei Romanæ ab ejectis regibus, atque iiſdem adhuc dominantibus. Prior reip. facies ſi ſpectetur, verum erat, quod per Interpretem ſuum dicit Plutarchus in Romuli vita: *Neque enim ad Rempub. gerendam adhibebantur Senatores, ſed nomen modo & ſpeciẽ honorificã habebant; ac de more potius, quam ſententiæ dicendæ cauſa cogebantur in Senatum.* Quare ut à Regifugio Senatus Romanus hac ipſa poteſtate polluit, ita ſub primis quoque Reip. ſive oppreſſoribus, ſive dominis, hanc ipſam poteſtatem aliquatenus exercuit.

cuit. Hinc Criſpus Salluſtius, prudens conſiliarius catiſſimi atque ad omnia attentiſſimi Tiberii principis, ſub prima quoque imperij ejuſdem auſpicia, conſuluit, ne *Tiberius vim principatus reſolveret, cuncta ad ſenatum vocando*, teſte Tacit. lib. 1. Annal. cap. 6. quod Senatus Romani in reip. negotiis, ſive poteſtas, ſive authoritas magna eſſet. Interim (ut ad inſtitutum noſtrum hæc ipſa aptemus) tum Senatus Rom. authoritas, tum Populi poteſtas, æquivalebant Majeſtati: licet hæc ipſa P. R. proprie competierit, perpetuo uſque à Regfugio, ſecundum diſtinctionem infra proponendam. De Senatu non ſinit nos ambigere Suetonius, ita loquens lib. 3. cap. 30. de Tiberio Aug. *Quin etiam ſpeciem libertatis quandam induxit, conſervatis Senatui ac magiſtratibus* (quid hoc ſibi velit, infra diſtincte patebit) *& majeſtate priſtina* (ergo eam ſuo modo habuerat Senatus, quatenus gaudebat anthoritate) *& poteſtate*. Atque de hac Senatus Romani Majeſtate obſervandum illud Flori lib. 1. cap. 5. ubi ita de Rege Tarquinio Priſco: (licet, ut jam dictum, Patres conſcripti tum foret circumſcripti) *Hic & Senatus majeſtatem numero ampliavit*. Idem Florus ratione liberæ reip. lib. 3. cap. 17. ſic loquitur: *Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilij debilitatus, omne decus majeſtatis amiſerat*. Quantopere quoque Majeſtas in populo R. fuerit conſpicienda, ſi non liqueret aliunde, manifeſtum eſſe poſſet vel ex ſolis ICC. certe ab Ulpiano IC. crimen Majeſtatis l. 1. §. 1. ad L. Jul. Majeſt. deſcribitur, *crimen quod adverſus populum Romanum, vel adverſus ſecuritatem ejus committitur*. Manebat nihilominus libera etiamnum rep. diſtinctio inter Majeſtatem populi & Senatus, obſervabaturque diſcrimen inter Authoritatem & Poteſtatem; illa quædam erat gravitas, hæc jus; aut, ſi ita placet, illa conſiſtebat magis in conſilio, hæc vero in ſuffragatione. Anthor Rhetoricorum ad Herennium lib. 2. *Majeſtatem minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus civitatis amplitudo conſtat: veluti ſuffragia populi, & Magiſtratus conſilium*. Et ipſe Cicero lib. 3. de LL. teſtis eſt, *nata poteſtate Tribunitia, gravitatem Optimatium cecidiſſe, & convaluiſſe jus multitudinis*. Et tamen, libera etiamnum rep. ad diſtinctionem ſpeciatim, Maje-

ſtas

ſtas populo; Amplitudo vero Senatui tribuebatur. quæ ratio eſt, quod Cicero in Partitionibus, Majeſtatem definiat *Populi Romani magnitudinem.* Quod amplitudo vero proprie Senatui conveniat abunde innuit Cicero Orat. pro Fontejo: atque inde in ipſo Jure Civili Senatus *ordo ampliſſimus* vocatur. exempla occurrunt l. 1. §. 1. D. ad Sc. Velleian. l. 21. §. fin. D. de Leg. 3. & alibi. Doctiſſimus Caſaubonus ad Lamprid in Elagabal vult Senatum olim *Clariſſimum ordinem* dictum fuiſſe, quod ut non probat, ita neque memini me alibi legere. Titulus clariſſimi eſt generalis, competens omnibus virtute præſtantibus, quod *veluti fulgore quodam famæ reſplendeant,* ut loquitur Cic. lib. 1. de Fin. quales ab eodem Cicerone lib. 1. de Divin. *clari & illuſtres,* & Orat. pro Roſc. Amer. *ampliſſimi & ornatiſſimi* vocantur. poſterioribus vero ſeculis *ſpecioſi* dicti videntur. Sic enim Ulpian. leg. 100. ff. de R. I. *Specioſas perſonas accipere debemus clariſſimas utriuſque ſexus.* Sed ad lineas: Ut ergo, interprete Cicerone, Majeſtas idem eſt quod amplitudo, dignitas & poteſtas. Ita paulo preſſius expendere debemus, quomodo ea ipſa, officij ratione circa Magiſtratus conſiderata, ſit deſcribenda. Vulgo ex Bodino lib. 1. de Rep. cap. 8. ſolet deſcribi, *ſumma in cives ac ſubditos, legibuſque ſoluta poteſtas.* Sed cum leges quibus Majeſtas eſt ſoluta, non expreſſerit Bodinus, nos ſimpliciter dicimus, quod ſit *ſumma Magiſtratuum ſuperiorum in cives ac ſubditos poteſtas.* Et ſic Majeſtas nobis eſt diſtincta ab imperio. Nam licet negandum non ſit apud quoſdam non modo Politicos Doctores, verum etiam antiquos Scriptores Latinos, nomen imperii & Majeſtatis confundi, ICC. tamen antiqui, optimi Latinitatis authores, nos diſtinguere Majeſtatem ab Imperio docuerunt. Nam quamvis nomen *imperij* ſæpe commune ſit & generaliſſime accipiatur, prout ſummam reip. poteſtatem complectitur. (ſic Paulus JC. *majeſtatem imperij* Prætori tribuit l. 11. ff. de I. & I. atque ſic populus ſecundum Ulpianum l. 1. ff. de Conſtit. Princ. in Principem *omne ſuum imperium* tranſtulerit) Majeſtati tamen contra diſtinguitur, & notat poteſtatem quorumcunque Magiſtratuum, ſummorum ſcil. mediorum, & infimorum.

Proba-

Probatur hoc potiſſimum ex leg. 215. ff. de V.S. ubi ſic loquitur Paulus IC. *Poteſtatis verbo plura ſignificantur. in perſona magiſtratuum, imperium, in perſona liberorum, patria poteſtas.* Atque hinc nomine Imperii ſignificatur quoque Magiſtratus: ut in illa Lege M. Tullij lib. 2. de LL. *Imperia juſta ſunto.* & in Epiſt. Bruti, *omnia imperia concupiſſere.* Licet tamen, ex uſu loquendi Romanis Scriptoribus uſitato, imperia proprie vocentur præfecti rei militari, eoque nomine cum ab aliis, tum etiam à magiſtratibus diſtinguantur. Ut Cic. in Agraria contra Rullum, *ſacerdotes, magiſtratus, imperia, curationes.* Atque ſic accipiendum illud Ciceronis pro Archia Poëta: *Imperante Lucullo, Pontum,* &c. Ideo ſummus quoque Magiſtratus, V.C. Conſul (etiamſi ſupremum domi imperium habeat) cenſetur imperium tum demum indipiſci, quando exercitus ei committitur, qui ſpeciatim Lege Curiata Magiſtratui dari ſolebat. Hinc illud Ciceronis in Philippicis: *Demus imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt.* Et alibi in Epiſt. Familiar. *Quid eſt ſine imperio exercitus?* Quando vero Ulpianus leg. 32. ff. de Iniuriis, *Magiſtratus minores* dicit eſſe *ſine imperio & poteſtate*, per imperium (prout jam antea notavimus) intelligi debet ſuprema poteſtas, ſeu jus Majeſtatis. Cujus quoque ſignificationis ratio debet haberi, quando Ulpianus leg. 4. ff. de Juriſd. quædam dicit *imperii magis eſſe, quam juriſdictionis.* Quæ verba accipienda reor de illis cauſis civilibus gravioribus, in quibus imperium ac majeſtas Prætoris præ cæteris elucebat, quæ proinde quoque non poterant committi omnibus Magiſtratibus; ſpeciatim Duumviris, aliiſque Magiſtratibus municipalibus. Unde Paulus dicit l. 26. ff. ad Municip. *Ea, quæ magis imperii ſunt, quam juriſdictionis, magiſtratus municipalis facere non poteſt.* Occaſione eorum, quæ de imperio, comparato cum Majeſtate diximus, conſiderare quoque convenit poteſtatem, per quam Cicero ſupra Majeſtatem quoque explicare inſtituit, & quam quidam, ſed perperam, utrique adæquare inſtituerunt. Ergo obſervetur, quod florente republ. Magiſtratus urbani, proprie Magiſtratus vocarentur, cæteri, qui in provinciis erant, Poteſtates. Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

docet Ulpianus leg. 13.§.1.ff. De Juriſdictione: *Magiſtratus autem*, ait, *vel is qui in poteſtate aliqua ſit ut puta Proconſul, vel Prætor, vel alii qui Provincias regunt* Quod & Suetonius intellexit: *Iurisdictionem*, inquit in Claud. cap. 23. *de fideicommmiſſis, quotannis in urbe delegari Magiſtratibus ſolitam in perpetuum, atque etiam per Provincias poteſtatibus demandavit*. Poteſtas eſt Imperium in perſona Magiſtratuum dicta l. 215. D. vero ſign. quod commune eſt Provinciarum Rectoribus, quibus tamen Magiſtratus nomen proprie non convenit. Idem Ulpianus l. 1. D. ad leg. Jul. majeſt. *Qui concilium iniit, quo Magiſtratus populi Romani, quive Imperium Poteſtatemve habet, occidatur*. Hic Imperium à Poteſtate ſeparat ex lege Julia, quæ cum lata eſt, merum imperium jure Magiſtratus non competebat. Magiſtratus enim creabantur Comitiis; Imperium lege aliqua aut Senatuſconſulto, quod ad Magiſtratus, & Poteſtates, ſeu Provinciarum Rectores, poſtea tranſlatum fuit principis authoritate.

VI. Supra audivimus Caſaubonum dicentem, quod Græci non habeant commodum vocabulum, quo vim vocis Majeſtatis explicent; quod, priuſquam ulterius pergimus, aliquanto diſtinctius enucleare convenit. Ergo aſſertio Caſauboni ſic eſt intelligenda, quod Græci non gaudeant vocabulo æque efficaci atque conſignificante. Alias vocabula æquivolentia habent. Sic legas in Gloſſario: *Majeſtas*, μεγαλειότης. Eamque vocem in ipſo N. T. occurrere ſupra vidimus. Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 5. vocat πολίτευμα. Atque, quicquid aliis videatur, eodem loco, ut & alibi, ſic videtur accipi poſſe vox πολιτεία. Heſychius Grammaticus nulli ſecundus: πολιτεία, ἡ πόλις, ἡ βίος, ἡ ὄνομα κύριον. Apud Ariſtotelem autem lib. 3. Polit. cap. 3. τὸ κύριον, non tam proprie eſt dominium, quam dominium ſupremum, & quaſi Majeſtas. Sic & in Gloſſario: κυριότης, *dominatus*. Dominatum vero eſſe majeſtatem per vim occupatam, infra patebit. Apud Ariſtotelem amplius lib. 3. Polit. aliquoties Majeſtas audit παμβασιλεία: nec minus eleganter lib. 2. Polit. ſæpius dicitur κύριον ἀνυπεύθυνον, ſive, imperium liberum, nullis rationibus

red-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

reddendis obnoxium. Quomodo recentiores quidam Politici, ſolent uti verbo *ſuperioritatis*, quod tamen cultior ætas ignoravit. Apud Euſebium lib. 10. Hiſtor. Eccleſ. dicitur βασιλεία, & καθοσιωσις. Quomodo & legas in Gloſſario: καθοσίωσις, *Devocio, Dicatio, Majeſtas*. Et in altero Gloſſario: καθοσιώσεως ἔγκλημα, *Majeſtatis crimen*. Denique vocatur κράτος, à Theodoreto lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 8. quod admodum ſignificanter reddidit Gloſſographus, ita enim legas apud illum: κράτος, *hoc imperium*. Quaſi per articulum exprimere voluerit, imperium aliquod eminentius, & Majeſtaticum.

VII. Falluntur vero oppido, qui exiſtimant apud antiquos Scriptores Latinos, Majeſtatem nunquam accipi pro imperij amplitudine. Nam quamvis contrarium liquere queat, vel ex ſolo Ciceronis loco, ſupra copioſe conſiderato: notabile admodum quoque eſt illud Petronii authoris cultiſſimi, è carmine ſeculari:

Summaque majeſtas auro proſtrata jacebat.

Simul, huc præ cæteris facit l. 4 Cod. de LL. ubi cum Impp. Theodoſius & Valentinianus ſic proloquuntur: *Digna vox eſt majeſtate regnantis, Legibus alligatum ſe Principem profiteri*: Manifeſtum eſt, Majeſtatem convenientiſſime à nobis fuiſſe diſtinctam, quum ea ipſa diſtinguatur à regnante, id eſt, imperante, ſive illo, qui eandum Majeſtatem uſurpat.

VIII. Agendum hic plenius foret de explicatione definitionis, qua ex noſtro ſenſu, præterito Bodino Majeſtatem inſtituimus adumbrare: Sed, ea ipſa pleniſſime innoteſcet ex ulteriori deductione; quæ, ut Methodice procedat, trifariam eandem conſiderabimus: Subjective ſcil. Effective, atque ſecundum ſua Adjuncta. Subjective, ut inde incipiamus, rurſum bifariam attendi poteſt. Vel ratione ſui, vel ratione delegationis, ſeu exercitij. Quidam ex Politicis, inſtituerunt eam diſtinguere in realem atque perſonalem. Sed, quod jam antea perſonalis Majeſtatis, utpote huc non pertinentis, debuerimus mentionem facere, non poſſumus hoc loco iterum eundem terminum uſur-

pare. Ut vero progrediamur, Majeſtas ſubjective à parte ſui conſiderata, non eſt alligata certis definitiſque perſonis, ſed omnibus indefinite perſonis, modo, licet ſub diverſa quoque regiminis forma, ejuſdem legitime poſſint agnoſci capaces. Unde hoc reſpectu, nec per omnia ἀπροσδιονύσως, deſcribi ſolet à Politicorum filiis, ſive, *Compages poteſtatum Reipubl. ſui fundandi & conſervandi ergo*: ſive plenius, *Poteſtas Reip. competens ſui fundandi & conſervandi ergo, ei coæva, atque etiam tempore interregni permanens.* Et ſic in Galliis, attendendo hanc Majeſtatem, dici ſolet, quod Reges Galliarum nunquam moriantur. Salva ſcil. Majeſtate, quæ ſuo modo æterna eſt, perpetuo occurrentibus perſonis, quibus Majeſtatis exercitium delegari queat.

IX. Ut vero, hæc ratio delegationis convenienter intelligi poſſit, (nam Majeſtas vix agnoſci poteſt ſubjective, niſi per modum delegationis ſecundum certas perſonas) tria iterum diſtincte hic conſiderare convenit: 1. Perſonas, quibus Majeſtas, ſeu, ſuprema hæc poteſtas delegari legitime cenſeatur. 2. Perſonæ, quæ jus delegationis uſurpare poſſint. Et (3) Differentia, ſeu diverſus modus, ſecundum quem hæc delegatio fieri cenſeatur.

X. Primum præcedentis diviſionis membrum, ut definite conſiderare incipiamus, duo principia jam partim deducta, partim indicata Th. 8. cupimus manere in ſtatu ſuo immota. 1. Omnem imperij Majeſtatem, quæ in hominibus occurrit, eſſe à Deo. 2. Hanc ipſam ſic ratione illorum, qui Majeſtatem habent, cenſeri à Deo, ſi obtingat modo legitimo. Qui modus, cum duobus proximis membris diſtinctius ſit explicandus, non eſt neceſſarium in anteceſſum hic aliquid annotare.

XI. Quibus prælibatis, ut accedamus ad perſonas, quæ Majeſtate gaudent, hic ſe initio offerunt Reges. Verum ſiquidem eſt illud Ciceronis lib. 3. de LL. *Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt.* & illud Juſtini in veſtibulo libri primi: *Principio rerum, gentium nationumque imperium penes Reges erat.* Similiter Salluſtius in Catilina: *Reges, nam in terris nomen imperij id primum fuit.*

Idem

Idem teſtatur de Medis Herodotus, quem & Cicero allegat lib. 1. Off. Et de Græcis in genere Pauſanias initio Bœoticorum, itemque in ſpecie de Platæenſibus: & de Athenienſibus Heraclides in lib. de Politiis. Atque ideo, ſpeciali quoque ratione, Majeſtas regibus tribuitur. Nam ut ſecundum Ariſtotelem lib. 4. Polit. cap. 3. *primum, maximeque divinum Regnum*; ita pariter verum eſt illud Pindari Olymp. od 1. ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μέγαλοι. τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσι. *Alij ſupra alios magni ſunt: ſupremam vero ad ſummitatem tollitur in regibus.* Huc facit quoque illud Philonis Judæi de Noacho: τῇ μὲν οὐσίᾳ τοῦ σώματος ἴσος παντὸς ἀνθρώπου ὁ βασιλεύς. τῇ ἐξουσίᾳ δὲ τοῦ ἀξιώματος, ὅμοιός ἐστι τῷ ἐπὶ πάντων Θεῷ, οὐκ ἔχει γὰρ ἐπὶ γῆς αὐτῷ ὁψηλότερον. *Corpore quidem Rex cuivis alteri homini par eſt: poteſtate vero dignitatis, ſimilis eſt ei, qui ſupra omnes eſt Deo: non enim habet in terris ſe quicquam excelſius.* Atque hinc paſſim Majeſtas regibus peculiari ratione tribuitur. Juſtinus loco proxime citato ut agit de Regibus, ita immediate ſequentia ſubjicit: *Quos ad faſtigium hujus majeſtatis, non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat.* Similiter lib. 1. cap. 9. *Quæ res eo occultior fuit, quod apud Perſas perſona Regis ſub ſpecie majeſtatis occulitur.*

XII. Nec requiritur, ut Rex, cui peculiari ratione Majeſtas competit, poſſideat regnum latum & amplum. Nam *non minus ſumma gaudet poteſtate Rex Scotorum*; ut Barclaius lib. de Monarch. ait. *aut alius Monarcha ſive Reſpub. minor, quam vel Hiſpaniarum Rex, Abaſſinorum, Tartarorum aut Turcorum Impp. Summa enim poteſtas neque locorum intervallis, neque numeroſa provinciarum multitudine definitur.* Hinc Eumenes, etiam ſi fractis opibus nihil præter arcem, in qua obſidebatur, ſuum dicere poſſet: cum tamen de pace ageretur cum Antigono Aſiæ rege; qui ut potentia, ſic etiam dignitate ſuperior videri vellet; legatis Antigoni reſpondit: ſuperiorem ſe neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret: ut Bodinus *lib. 1. cap. 9. de Repub.* ex *Plutarcho* refert. Quemadmodum igitur pulex non minus animal eſt, quam vel vaſtiſſimi corporis Balæna; ſic etiam vel Princeps

ceps ſeu Rex minimus, tam frui poteſt ſumma in ſuos poteſtate, quam aut potentiſſimus monarcha. Plus enim & minus non mutant rerum genera, ut docent Logicorum Scholæ. Alias ſane, ſi quis ſummam poteſtatem ex locorum ſpatiis, & regionum amplitudine metiri vellet; nulli hodie ſumma deferri poteſtas poteſt, præterquam ſoli Hiſpaniarum Regi: utpote, qui non ſolum hoc ſeculo ſit omnium Principum terra marique longe potentiſſimus; quippe cujus imperium iiſdem regionibus, quibus Solis curſus definiatur, & quod imperio Turcarum ſit decuplo majus; ſi credimus Bodino *lib.* 2. *de Repub. cap.* 2. verum etiam, cui ab orbe condito quoque nemo Imperatorum, Principum, Regum atque Rerumpub. imperij magnitudine conferri poſſit: ſi itidem credimus Commentariolo parallelo, quo Principum Hiſpan. & Turc. vires atque opes inter ſe conferuntur, *à Carolo Vtenhovio* vulgato. Aſt hoc dici non poteſt. Novimus enim, nec Galliarum Regem, licet tam multa & tam ampla regna non poſſideat, hoc credere; & tantum abeſſe ut ratione potentiæ cedere velit Hiſpano vires diviſas & diſtractas habenti; ut etiam hoc ipſo tempore per victricia arma non uno in loco eum ad ſummas anguſtias redegerit.

XIII. Ad hoc certum eſt, nec Principem ſummum, eo quodſe alterius ſummi Principis clientem profitetur, ſummam in ſubditos poteſtatem ſive *jura majeſtatis* amittere. Nam clientèla inter ſummos Principes aliud nihil eſt, quam fœderata conſociatio, qua alter alterius majeſtatem obſervare tenetur, ut ab injuria potentiorum tutior eſſe poſſit. Bodin. *lib.* 1. *de Repub. cap.* 7. Quod ipſum elegantiſſime deſcribit Proculus *lib.* 8. *Epiſtol.* prout in Pandectas eſt relatus à Triboniano l. 7. §. 1. ff. de Capt. & Poſtl. rev. Liber autem populus, *inquit*, eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus: ſive is fœderatus eſt: item ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe: non ut intelligatur alterum non eſſe liberum. Et quemadmodum

clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque authoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares ſunt: Sic eos, qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt. *Hæc Proculus*: quæ ut rationibus ſolidiſſimis munita ſunt; ita hactenus ſcopo & inſtituto noſtro cum maxime ſerviunt.

XIV. Nec tamen ſoli Reges, Principeſve, qui ſecundum Monarchicum quaſi regimen cenſentur, capaces Majeſtatis ſunt, verum etiam Optimates in ſtatu Ariſtocratico, imo ipſe populus in ſtatu Democratico. Ne longius abeam, ſola Romana reſp. ſit inſtar omnium. Poſt Regifugium, quicquid aliis videatur, ea fuit Reſp. mixta, ſic tamen ut populus priores partes, præ ipſo Senatu, imo Coſſ. obtinuerit; & tamen, ut jam antea Th. v. declaratum fuit, utrique, ſcil. qua populo, qua Senatui ſolet aſſignari Majeſtas. Atque actus Majeſtatis ſingularis non ſolum cenſeri ſolet jus ferendarum legum; (de quo ſupra egimus) ſed ſpeciatim quoque jus federis percutiendi. Hoc ipſum, vero æque atque alterum, de quo jam antea fuit actum, populo Romano vindicari aſſolet, quandoquidem in P. R. federibus caveri ſolet, ut ipſius Majeſtas ſervaretur, quemadmodum teſtis eſſe poteſt vel ſolus Cicero Orat. pro Balbo. Cujus verba non poſſum non, hoc loco, quod uſum ſingularem poſtea exhibitura ſint, repræſentare. Sic vero occaſione federis Gaditani *loquitur*: Adjunctum etiam illud eſt, quod non eſt in omnibus federibus: Majeſtatem populi Romani comiter conſervent. id habet hanc vim, ut ille ſit in federe inferior. Primum, verbi genus hoc conſervandi, quo magis in legibus, quam in federibus uti ſolemus, imperantis eſt, non precantis. Deinde, cum alterius populi majeſtas conſervari jubetur, de altero ſiletur; certe ille populus in ſuperiori conditione cauſaque ponitur, cujus Majeſtas federis ſanctione defenditur. *Hæc Cicero*. E cujus verbis quanquam multa admodum elici & colligi poſſent; unum tamen præſenti huic noſtro inſtituto ſufficit, quod Populo, regimen quaſi populare, ſive Democraticum repræſentanti, expreſſe & in for-

mulæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

mula fœderis, & ſecundum Ciceronis explicationem ulteriorem deferatur Majeſtas. Ut vero modo notavimus, peculiari ratione Regibus & conſequenter Regno competere Majeſtatem; ita ratione Rerumpublicarum Ariſtocraticarum, aut Democraticarum, aut etiam mixtarum ex utroque hoc ſtatu, ſolet à probatiſſimis Scriptoribus frequentari nomen Libertatis, quæ ut hoc ſenſu non opponitur quidem ſervituti, ſed dominio ſuperiori, ita convenienter deſcribi poteſt, quod *ſecundum illam reſp. libera civitatibus & populis ſibi ſubjectis ſine conſenſu alterius alicujus, ſive ſuperioris, ſive æqualis leges ferre poſſit.* Atque hæc ſignificatio apud Hiſtoricorum accuratiſſimum Tacitum, utramque paginam facit. Sic legas apud illum in veſtibulo Annalis primi: *Vrbem Romam à principio Reges habuere. Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* & eodem lib. cap. 33. *Druſi magna apud P. R. memoria, credebaturque, ſi rerum potitus fuiſſet, libertatem redditurus.* lib. 2. Ann. cap. 82. Populus ſic de Druſo & Germanico diſſerit: *Neque ob aliud interceptos, quam quia Populum Romanum æquo jure complecti reddita libertate agitaverint.* libel. De Morib. Germ. *Regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas.* Quomodo & ſæpius, apud eundem Scriptorem, libertas regno opponitur. Lib. 2. Ann. cap. 44 *Maroboduum regis nomen inviſum apud populares: Arminium pro libertate bellantem favor habebat.* & eod. lib. cap. 88. *Arminius regnum affectans, libertatem popularium adverſam habuit.* Alias apud eundem Scriptorem opponitur dominationi, & principatui. Quomodo dicit in Agricola cap. 3. quod Nerva *res olim diſſociabiles miſcuerit, libertatem & principatum.* & lib. 4. Hiſt. cap. 73. *Cæterum libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem* (nam in dominatu eſt quæ ſervitus) *ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet.* Et quoniam imperium ſæpe pro Principatu apud hunc ipſum Scriptorem accipitur, ei quoque libertas opponitur. Locus occurrit lib. 16. Ann. cap. 22. *Vt imperium evertant, libertatem præferunt.* Eadem notatione, libertatis vox accipitur apud Claudianum. Neque enim aliter eum acceperim quando ſic canit de ſuo Stilicone:

Mavor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Mavortia plebes
Te regem Bruto non dedignante fatetur.
Et quod adhuc nullo potuit terrore coacta
Libertas Romana pati, Stiliconis amori
Detulit, &c.

Libertatem porro majeſtati regiæ æquari docent illa Senecæ, *Interdum populus eſt quem timere debeamus, interdum, ſi ea Civitatis diſciplina eſt, ut plurima per ſenatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri, interdum ſinguli, quibus poteſtas populi, & in populum data eſt.* Epiſt. 19.

XV. Quum ergo conſtet, ea, quæ Majeſtatis ſunt, competere quoque imperio Optimatium & Populi; atque, cum primis neceſſarium ſit, ut rationem antiquæ reip. Romanæ quam perſpectam habeamus: Priuſquam conſiderare inſtituimus Majeſtatem, ut illius ſubjectum eſt Imperator; omnino curæ pretium fuerit, eandem conſideraſſe in præcipuis liberi populi Magiſtratibus. Initio vero ſe hic offerunt Conſules. Ut autem Conſulatus haud abſque ratione à Dione Chryſoſtomo vocatur omnium dignitatum κορυφὴ καὶ κεφαλή; ita Salluſtius Orat. ad Cæſarem: *Maximum Imperium* vocat. Quo vero omnia pateant, nec agamus de Conſulibus, qui ſub Imperatoribus notati ſunt; ſed duntaxat eos attendamus, qui libera republ. fuerunt: Conſiderandi illi veniunt ſecundum tres quaſi temporis periodos. 1. A Regifugio ad creatos Tribunos plebis. 2. Inde ad Syllanam Dictaturam. 3. A Sylla Dictatore ad C. Julium Cæſarem. Si prima attendatur periodus, omnino Conſules Regibus æquales fuerunt. Teſtis eſt Florus, qui lib. 1. cap. 9. agens de mutatione Reip. Romanæ, poſt ejectum Tarquinium Superbum, ſic loquitur: *Populus imperium in eoſdem libertatis ſuæ vindices transfert, mutato tamen & jure, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex: Ne poteſtas ſolitudine, vel mora corrumperetur: conſuleſque appellavit pro regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis meminiſſent.* Ita negat Livius ſub initium lib. 2. in conſulari imperio, *diminitum quicquam eſſe ex regia poteſtate.* Neque aliter Tullius lib. 3. de LL. *Regio im-*

gio imperio duo ſunto, iiſque conſulendo Conſules appellantur, militiæ ſummum jus habento. Sic & conſtat omnia regum jura ac inſignia iis manſiſſe. Quare & ὑπάτους, quaſi tu ſummos dixeris, eos vocant Græci tanti vim imperij exprimentes; quanquam haud dubie ſic deliquerint in prudentiam modeſtiamque Romanorum, qui regiam illam poteſtatem molliore multoque gratiore Conſulum vocabulo commendandam populo cenſuere. Quæ ne alicui errandi occaſionem præbeant, notandum eſt, Regum Romanorum omni quoque tempore non fuiſſe eandem poteſtatem. Ab initio, uſque ad Tarquinium Priſcum verum erat de iis illud Salluſtij in Catilina: *Imperium legitimum, nomen imperij regium habebant.* ut enim dicit. JCtus in l. 1. D. de Off. Quæſtoris aſſerit, Romulus & Numa quæſtores non ſua voce, ſed populi ſuffragio crearunt. Oſtenditque hoc ſatis exemplum Horatij ad populum provocantis. At à tempore Tarquinij Priſci videntur reges plus Authoritatis ſibi arrogaſſe. Huc traho illa Taciti lib. 3. Hiſt. cap. 72. *Voverat Capitolium Tarquinius Priſcus bello Sabino, jeceratque fundamenta, ſpe magis futuræ magnitudinis, quam quod modicæ adhuc Pop. Rom. res ſufficerent; mox Servius Tullius, ſociorum ſtudio, deinde Tarquinius Superbus, capta Sueſſa Pometia, hoſtium ſpoliis exſtruxere. Sed gloria operis libertati reſervata.* Nam, ut conceperat ſpem ulterioris magnitudinis; ita cœperat quoque inſurgere. Tarquinius vero Superbus multo magis attrivit populi jura. Sic enim de illo Livius lib. 1. *Tarquinio*, inquit, *in caritate civium nihil ſpei reponenti, metu regnum tutandum erat; quem ut pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum, ſine conſiliis, per ſe ſolus exercebat: perque eam cauſam occidere, in exſilium agere, bonis multare poterat, non ſuſpectos modo & inviſos, ſed unde nihil aliud quam prædam ſperare poſſet.* Nec tamen propterea in eum eſt conſpiratio inita, ſed occaſione flagitij in Lucretiam à filio perpetrati, propter arrogantiam cumprimis imperio exutus, regnoque ejectus fuit. Egregie Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium Imperatorem: *Arrogantiæ quidem* (inquit) *ita majores noſtros ſemper pertæſum eſt, ut graviorem ſemper putaverint ſervitute contemptum, ejuſque*

impa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

impatientia ſint coacti, poſt bellatores Tullos, Numaſque ſacrificos, & Romulos conditores, regnum uſque ad nomen odiſſe. Denique ipſum Tarquinium execratione poſtrema hoc damnaverunt maledicto, & hominem libidine præcipitem, avaritia cæcum, immanem crudelitate, furore vecordem vocaverunt Superbum, & putaverunt ſufficere convititum. Quando ergo Conſulum poteſtas adæquata dicitur regiæ poteſtati, intellige hoc, de tali poteſtate, quam primi Romanorum Reges & habuerunt, & uſurparunt. Atque ex his videor convenienter explicare poſſe, quæ habet Jc. Pomponius leg. 2. ff. de Orig. Juris, §. 14. & 16. Qui ſic quidem ut hiſtoricus loquitur 14. §. *Quod ad magiſtratus attinet, initio civitatis hujus conſtat reges omnem poteſtatem habuiſſe.* 16. §. *Exactis deinde regibus, conſules conſtituti ſunt duo: penes quos ſummum jus uti eſſet, lege rogatum eſt, dicti ſunt ab eo, quod plurimum reipub. conſulerent.* Interim non ignorandum, ſub primis etiam Conſulibus, procurante Valerio Poplicola Cos. latam fuiſſe legem Valeriam, cujus teſte Livio lib. 2. tale erat carmen: *Ut ſi quis magiſtratus civem Rom. necare, verberare, multare vellet, privatus eum ad Populi judicium vocare poſſet. interea vero à magiſtratu damni nihil acciperet, niſi ubi populus ſtatuiſſet.* Atque hanc ipſam legem reſpicit Pomponius Ic. dicto §. 16. ita porro loquens: *Qui tamen* (nempe Coſſ.) *ne per omnia regiam poteſtatem* (intellige de illa quam poſteriores reges uſurparunt) *ſibi vindicarent, lege lata* (ſcil. Valeria) *factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi: ſolum relictum eſt illis, ut coërcere poſſent, & in vincula publica duci juberent.* A tempore Tribunorum Plebis (creati illi ſunt anno ab V. C. 259. ſive anno ab O. C. 3458.) ut totius Senatus authoritas, ita ſpeciatim Conſulum poteſtas diminuta admodum fuit, quemadmodum multis ſpecialibus exemplis ex Livio adductis, doceri poſſet, niſi ad alia properandum foret. Sylla vero (ut ad tertiam periodum accedamus) protritis Marianis partibus, non ſolum labefactavit, ſed etiam funditus ſuſtulit ea, quibus munita videbatur eſſe populi Romani libertas. nam proſcriptione civium Rom. novo exemplo propoſita, cæde eorum acerbiſſima

facta, agris plebi ereptis, judiciis commutatis, tribunicia poteſtate debilitate, quid reliqui juris civibus Romanis fecit? Tulit autem legem, teſte Livio & Appiano in Hiſtoria, *Ne tribunis plebis legum ferendarum jus eſſet; neve iis, qui tribuni plebis fuiſſent, alios poſtea magiſtratus capere liceret.* Atque ſic Coſſ. (ne de Senatu jam dicam) jus prius recuperarunt. Quod patet vel in ſolo Cicerone, qui in partes veniente Catone, (ut diſtincte narrat Salluſt. in Coniur. Catilin.) Catilinæ ſocios in carcere occidi curavit: quod alias auſus non fuiſſet facere, ſi Tribunorum Plebis poteſtas adhuc ſalva fuiſſet. Quare & Cæſar, cui Sylla (teſte Sueton. lib. 1. cap. 2.) dixerat, *Multos Marios in eſſe*; cum ageretur de pœna Catilinæ ſociis irroganda, non modo contra Ciceronem atque Catonem contendit, cenſendo ſolum *publicandas eorum pecunias, ipſos in vinculis habendos per municipia, quæ maxume opibus valent*; verum poſtea, clam inſtigante Cæſare, qui jam tum laborabat potentiam Optimatum (pro quibus Pompeius ſtabat) evertere, Cicero ob hanc ipſam aſperiorem ſententiam per Clodium Trib. plebis, fruſtra obnitentibus pleriſque è Senatu, in exilium actus fuit: prout diſtincte refert Plutarchus in Ciceronis vita.

XVI. Poſt Coſſ. breviter conſiderandi ſunt Dictatores, de quibus ſic diſtincte Pomponius IC. dicta lege 2. §. 18. *Populo* (inquit) *deinde aucto, cum crebra orirentur bella, quædam acriora à finitimis inferrentur, placuit majoris poteſtatis magiſtratum conſtitui. itaque Dictatores proditi ſunt, à quibus nec provocandi jus fuit: & quibus etiam capitis animadverſio data eſt. Hunc Magiſtratum quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextum menſem retinere.* Duobus ſiquidem frænis & quidem valde prudenter, à Romanis Dictatoria poteſtas coërcita fuit. *Vt ſemeſtri exacto ſpatio Dictatura deponeretur*; ne longiore ejus uſu libertas aliquid acciperet detrimenti; præterea quoque, *Vt Italia cum exercitu, tantoque cum imperio Dictator non egrederetur*; quo rerum ſuarum teſtes ac obſervatores proximos Senatum Populumque Romanum continuo haberet. Atque, ut ex ſuprema hac poteſtate Dictatoris, convenienter

colligi poteſt, eum Majeſtatem, ſecundum ſenſum jam dictum habuiſſe; ita neſcio, quid multis ex Politicis Doctoribus in mentem venerit, ut docerent, non poſſe aliam Majeſtatem ſubjective, ſive ratione certarum perſonarum agnoſci, niſi eadem perpetua ſit. Confundendo ſic Majeſtatem ipſius Imperij, poſtea diſtinctius conſiderandam, cum ea, quæ per delegationem certam, in certis perſonis agnoſcitur. Etenim, ſi valeat hoc eorum axioma, neutiquam, ſive in Ariſtocratico, ſive in Democratico ſtatu, Majeſtas agnoſci poſſit: quandoquidem in utroque hoc regimine, conſueverint ordinario temporarij ſolummodo, non vero perpetui Magiſtratus eſſe. Aliud ſane exiſtimat Scriptorum Latinorum πολιτικώτατος Corn. Tacitus, qui, in ipſo veſtibulo Annalis primi, æſtimando Romanam remp. ex moderamine Dictatorum, dicit: *Dictaturæ ad tempus ſumebantur: neque Decemviralis poteſtas ultra biennium, neque Tribunorum militum conſulare jus diu valuit.* Nam, quod ad Dictatorem, verum eſt, quod diſſerit Manius Valerius apud Livium lib. 2. *Diſcordiæ* (inquit) *inteſtinæ, & bellum externum fecere, ut hoc magiſtratu egeret reſp.* Ergo, licet brevis admodum temporis, ſupremus tamen Magiſtratus Dictator erat, atque eminenter, quandiu cum poteſtate erat, Majeſtatem radiantem habebat.

XVII. Taciti locus, proxime adductus, monet nos, ut à Dictatore tranſeamus ad Decemviros, & Decemviratum. Qui ut pariter in Romana Rep. fuit ſummus, ſed tamen extraordinarius Magiſtratus; (inſtitutus anno ab V.C. 302. teſte Diod. Siculo lib. 12. Biblioth. Liv. lib. 3. Halicarnaſſ. lib. 10.) ita occaſionem illius conſtituendi breviter tangit Tacit. lib. 3. Annal. cap. 26. ubi agens, de origine Juris Romani inter alia hæc habet: *Creati Decemviri, & accitis, quæ uſquam egregia, compoſitæ* XII. *Tabulæ, finis æqui juris.* Diſtinctius aliquanto Aurel. Victor de viris Illuſtrib. cap. 26. *Populus Rom.* (inquit) *cum ſeditioſos Magiſtratus ferre non poſſet, decemviros legibus ſcribendis creavit, qui eas ex libris Solonis tralatas* XII. *Tabulis expoſuerunt.* Collata autem iis fuit ſumma poteſtas, imo major quam Coſſ. ſic enim Liv. lib. 3. *Pla-*

tet creari Decemviros, ſine provocatione, & ne quis eo anno alius Magiſtratus eſſet. Quæ vero moderatio eorum, ſumma hac poteſtate haut quaquam uti voluerunt. Sic enim Livius loco dicto: *Moderationis* (inquit) *eorum argumentum, exemplo unius rei notaſſe ſatis erit. Cum ſine provocatione creati eſſent: defoſſo cadavere domi apud P. Sextium, Patritiæ gentis virum, prolatoque in concionem, in re juxta manifeſta & atroci C. Iulius Decemvir diem Sextio dixit, & accuſator ad populum extitit, cujus rei legitimus judex erat; deceſſitque jure ſuo, ut demum de vi Magiſtratus, populi libertati adjiceret.* Circa Taciti locum ex Ann. I. de duratione hujus ſupremi Magiſtratus difficultas à quibuſdam movetur: quam tamen Lipſius in Commentario convenientiſſime tollere videtur. *Neque ultra biennium* (dicit) *ita accipio, quaſi dicat, haud multo ultra biennium. Nam exacte ſi putas, revera ultra biennium Decemviri imperium tenuere.* Qua vero occaſione, propter inſolentiam Appij claudij, (de eo recte dicit Florus lib. I. cap. 24. *oblitus & Lucretiæ, & regum, & juris, quod ipſe compoſuerat*) Decemviris poteſtas hæc ſuprema abrogata fuerit, præter Livium loco dicto, docent Valer. Max. lib. 6. cap. I. Oroſ. lib. 2. cap. 13. & Auguſt. lib. 3. de C. D. cap. 17.

XVIII. Poſt Decemviros velut Magiſtratus extraordinarii, veniunt conſiderandi, *Tribuni militum conſulari poteſtate; Tribuni militum pro conſulibus*, Livio; *Tribunorum militum conſulare jus*, Tacito I. Ann. dicuntur, Plutarchus ſub initium vitæ Camilli eorum poteſtatem deſcripturus appellat nomine, χιλιάρχων ἀπ' ἐξουσίας καὶ δυνάμεως ὑπατικῆς, ἅπαντα πραττόντων. id eſt, *Chiliarchorum, vi & poteſtate conſulari omnia agentium.* Tribunorum vero militum vocabulum, Republ. per intervalla turbata, placuit, ut plebeiis ſimulachro conſulatus contentis, *& interim forte animum mutaturis, conſulatus nomen illibatum & integrum patriciis eſſet.* Non continuato vero ordine creati ſunt hi Tribuni; ſed per variorum annorum intervallum. Quoniam vero Conſularem poteſtatem, ut pro tempore ſupremi Magiſtratus, habuerunt; quis Majeſtatem iis deneget? Quam non denegarim quoque Cenſoribus. *Ortum autem initium rei eſt*, ut tradit Livius, lib. IV. *quod in populo per*

multos annos incenſo, neque differri cenſus poterat, neque Conſulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Mentio ergo illata à Senatu eſt, rem operoſam ac minime conſularem ſuo proprio magiſtratu agere: cui ſcribarum miniſterium, cuſtodiaque & tabularum cura, cui arbitrium formulæ cenſendi ſubjiceretur. Neque Tribuni plebis jam tum potentes, diſſenſêre. Reipub. quippe adminiſtratio nunquam rectius ſeſe habet, quam ubi ſingulis ejus negotiis gerendis proprij magiſtratus, nullo alio munere aut procuratione diſtricti, imponuntur. Quod vero, nullo arbitrante, tanquam ſuperiori, Cenſores cenſuram exercerent; pariterque Curules haberentur Magiſtratus: hactenus ratione officij, haut quaquam iis denegaverim Magiſtratuum ſuperiorum & nomen, & pariter etiam Majeſtatem.

XIX. Proxime conſiderandus eſt in Imperio Romano Princeps, ſive Imperator, cujus imperij, ut mutata Reip. facie, ſub titulo Dictatoris, olim inviſo, fundamenta jecerat C. Julius Cæſar; ſic Cæſare in curia occiſo, poſt longam & difficilem luctam, primus Octavius Auguſtus, *cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit*, ut loquitur Tacitus in veſtibulo Annalis primi. Licet vero ab hoc tempore, imperio occupato à Principibus, pariter iis Majeſtas, quæ ab imperio ſupremo provenire ſolet, acceſſerit: puto tamen Auguſtum qui vim imperij ſibi vindicavit, verborum honorem populo conceſſit, abſtinuiſſe hoc verbo, cum de ſe, aut de ſua domo loqueretur. at non abſtinuerunt qui de illo, aut, de aliis Imperatoribus etiam bonis, ſcripſerunt. Suet. lib. 2. cap. 25. cur Auguſtus milites non appellaret commilitones, hanc rationem affert, *ambitioſius id exiſtimans, quam aut ratio militaris, aut ſua domuſque ejus majeſtas poſtularet*, & in Claudio ſcribit idem: *decretis ſibi à ſenatu ornamentis triumphalibus, leviorem majeſtati principali titulum arbitratus eſt.* libro autem quarto, cap. 22 inter Caligulæ flagitia ponit nobilis ille ſcriptor, non quod majeſtatem ſibi vindicaret, ut loquitur Plinius; ſed quod *majeſtatem divinam aſſerere ſibi cepiſſet.* clare innuens, humanam quandam principibus majeſtatem, cum imperio ineſſe, atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

hæc etſi imperijſemper eſt comes, tempore tamen augeſcit, & fit ſubinde major; ita capiendum quod de Veſpaſiano ſcribit Tranquillus cap. 7. *Auctoritas & quaſi majeſtas quædam, ut ſcilicet inopinato & adhuc deerat: hæc quoque acceſſit.* Nec ita ſolum Tranquillus loquitur, verum ipſe quoque Tacitus. Sic legas apud eum lib. 3. Annal. cap. 3. *Tiberius atque Auguſta publico abſtinuere, inferius majeſtate ſua rati, ſi publice lamentarentur.* & eodem lib. cap. 64. *Credebatur, ut inferius Majeſtate Principis.* item lib. 1. Annal. cap. 42. Germanicus in concione ad turbidos milites: *Non mihi* (inquit) *uxor, aut filius, patre & repub. cariores ſunt: ſed illum quidem* (intelligit Tiberium) *ſua majeſtas, imperium Romanum cæteri exercitus defendent.* & ibidem cap. 47. ſic diſſerit Tiberius: *Per filios pariter adiri, majeſtate ſalva, cui major è longinquo reverentia.* Dicit quidem Trebellius Pollio in Gallieno: *Conſtat de genere, non ſatis tamen conſtat de dignitate: vel, ut cæperunt alij loqui, de Majeſtate.* Unde eruditiſſimus Meurſius in Mantiſa Philologica, ſubjuncta ipſius Tractatui de Gloria, cap. 30. colligit, nomen *Majeſtatis*, non niſi ſervili adulatione à purpuratis attributum fuiſſe Imperatoribus, atque proinde apud poſteriores duntaxat Hiſtoricos, & Panegyriſtas inveniri. Sed, aliud jam collectum eſt è Suetonio & Tacito. Nec virum ſummum qua Græcæ, qua Romanæ antiquitatis conſultiſſimum, juvant antiquæ inſcriptiones, hac formula conceptæ. D. N. M. Q. V. *Devotus numini, majeſtatique veſtræ.* quaſi illæ demum cæperint frequentari, ſub Aureliano, & Diocletiano. Siquidem, ut patet ex corpore Inſcriptionum Antiquarum, à Grutero vulgato, ſub Caracalla quoque, recepta fuit in Dedicationibus publicis ſequens formula: EQUITES DEVOTI NUMINI MAJESTATIQUE EJUS. Verba autem Trebellii, cum ſummo Caſaubono ſic interpretor, non quaſi reſpiciant Auguſtum, cui tum demum cœperit deferri titulus Majeſtatis; ſed potius quamcunque aliam poteſtatem, ſub Imperatoria, cui adulatores & paraſiti conſueverint, jam Trebelliano ſeculo, deferre Majeſtatis elogium: prout poſtea in hac ipſa de Majeſtate Diatriba, fuſe & pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

pro illuſtratione variorum authorum à nobis oſtendetur. hoc certum eſt, Imperatores ipſos, quum de ſe ipſis loquerentur, diu abſtinuiſſe verbo Majeſtatis. Jus Romanum, ſive promptuarium Romanæ antiquitatis, ſi conſulas, in eo hæc quidem legas pro ſe a Principibus ipſis dici: *Noſtra lenitas* l. unic. Cod. Quando Imp. inter pupil. *Noſtra tranquillitas*, l. 1. Cod. de ſumma Trinit. & fide Cath. *Noſtra pietas*, l. 1. Cod. ut nem. lic. in empt. oper. lib. 10. *Noſtra pietas, & ſerenitas*, aliquoties in l. ult. C. Ubi Senator. vel clariſſ. *Mea Magnificentia*, l. Cod. de Veter. lib. 12. & *Imperatoria celſitudo*, §. 5 Inſtit. quib. mod. jus patr. pot. ſolv: Ante Conſtantinum tamen de ſemet ipſis Imperatores vix nomen Majeſtatis frequentare ſolent. Supra adduximus decantatam illam l. 4. C. de LL. quæ eſt Theodoſij & Valentiniani. Honorius vero & Theodoſius l. 1. Cod. Vt nemo privatus tit. ſic præfantur: *Regiæ Majeſtatis eſt, ut noſtræ tantum domus & patrimonia, titulorum inſcriptione legantur.* Præ omnibus vero aliis, videtur hunc titulum affectaſſe Imp. Juſtinianus. In Proœm. Inſtit. ſic loquitur: *Imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam.* Leg. 3. Cod. de Quadr. præſ. in epiſt. ad A. Florum, Petrum virum illuſtrem, & Macedonium pariter virum illuſtrem, ex poſtulat ſuper iis, qui *non agnoſcebant Imperatoriam Majeſtatem*: & l. pen. ſeu 2. in fine Cod. de annal. except. hæc verba habet: *Omnibus aliis quæ de longi temporis præſcriptione, vel triginta vel quadraginta annorum curriculis conſtituta ſunt, ſive ab antiquis legum conditoribus, ſive à noſtra Majeſtate, in ſuo robore duraturis.* Non eo vero hæc adducimus, quaſi velimus hinc colligere, Imperatori non competere Majeſtatem; (quo jure illam uſurpare potuerit, dein patebit) ſed, ut pateat quam civiles ipſi Principes fuerint, in illo titulo uſurpando.

XX. An vero ipſi Chriſtiani Principes, vi Majeſtatis (quam à Deo magiſtratibus conferri, ſupra diximus) potuerint etiam admittere non modo, verum & de ſemet uſurpare titulos, Deo quaſi convenientes, merito quis ambigat? Ne de Gentilibus dicamus, qui ſuos quoque principes per ἀποθέωσιν Deorum Indige-

digetum choro ſoliti erant aſſcribere; Certe Divini & æterni vocantur terreſtres Principes, iique Chriſtiani, non modo à Palatinis Gnathonibus, verum etiam illo titulo, cum de ſemetipſis loquuntur, utuntur. Ipſe Juſtinianus de ſe l. 37. Cod. de Appellat. *Si quando* (inquit) *ducjano judicio appellatio fuerit oblata: ſive ab ipſa qualitate judicis, ſive ex divina delegatione viro ſpectabili duci deſtinata.* Iterum de ſe l. 4. Cod. de Temp. appellat. *Per hanc divinam ſanctionem decernimus.* & in Novell. 114. Præfat. *Si ſacras etiam juſſiones cum competenti jubeamus cautela procedere.* Idem leg. 3. Cod. de Quadriennij præſcript. ſub finem: *Quæ pro Auguſto honore*, &c. *noſtra ſtatuit æternitas.* Imo Impp. Leo & Anthemius l. 14. §. 1. Cod. ſic proloquuntur: *Sane ſi hæc noſtræ perennitatis ſtatuta audaci ſpiritu & mente ſacrilega, quiſquam Oeconomorum, vel hominum temeranda crediderit.* Ita &, *noſtram Divinitatem* dixere Imperatores Theodoſius & Valentinianus l. 3. §. 2. C. de ſumm. Trinit. Eadem lege §. 3. *Noſtrum divinum præceptum.* Et aperte *Noſtrum Numen*, ſe ipſos innuendo uſurpant Imperatores Honorius & Theodoſius l. 8. & l. 11. Cod. Theod. de Sacroſanct. Eccleſ. Theodoſius Imp. *Suum Numen* in Conſtit. *Cæleſte oraculum* nominant Imperatt. Juſſionem ſuam leg. 10. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. ut & *Sacrum oraculum*, l. 5. Cod. ſi contra jus, vel utilit. public. Nec alio ſenſu, *Divinum verbum ſuum*, appellant l. 2. Cod. de mandat. Princip. Amulinus Proconſul. Africæ, Epiſtola ad Conſtantinum Magnum, *Scripta Cæleſtia majeſtatis veſtræ accepta atque adorata* dixit apud Auguſtinum Epiſt. 68. ut *adorandum reſcriptum* Imperatoris, Curopalates lib. 2. Juris Græco-Romani, & in Novella Alexij Comneni.

XXI. Quomodo vero hæc ipſa poterimus excuſare? Dic Quintiliane colorem? Eutropius lib. 9. agens de Diocletiano hæc inter alia habet: *Primus Diocletianus* (inquit) *regiæ conſuetudinis formam imperio Romano invexit, adorarique ſe juſſit, cum ante cuncti* (*more Præſidum*) *ſalutarentur. Ornamenta etiam gemmarum veſtibus, calceamentiſque addidit: nam prius imperij inſigne in Chlamyde purpurea tantum erat.* idem perhibet de Heliogabalo Lampridius in

vita

Alexandri Severi. Atque, jam antea, Domitianus edictis ſuis hanc formulam præſcribere ſolitus fuit: *Dominus Deus noſter ſic fieri jubet*, ut teſtis eſt Suetonius in vita, cap. 13. Unde & Martialis lib. 15. Epigramm. de eodem: *Edictum Domini Deique noſtri*. Quomodo & antea Virgil. Eclog. 1. de Auguſto: *O Melibœe Deus*, &c. At hi omnes Gentiles fuerunt, & Diocletianus perſecutor amplius Eccleſiæ maximus? Quod vero Chriſtiani Imperatores, ipſi Dij pariter voluerint haberi, & deteſtandum & deplorandum maxime! Sed hoc exprobrant ipſi Gentiles Scriptores: Ammianus Marcellinus in veſtibulo lib. 15. agens de Conſtantio, hæc inter *alia habet*: Quo ille ſtudio blanditiarum exquiſito ſublatus, immunemque ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim à juſtitia declinavit, ita intemperanter, ut æternitatem eam aliquoties aſſereret, & ipſe dictando ſcribendoque propria manu, orbis totius ſe dominum appellaret. *Hæc ille*. Ne quis miretur, Symmachum hominem Gentilem, atque artium Palatinarum quam gnarum lib. 10. ep. 5.4. ſic affari Valentinianum, Theodoſium, & Arcadium Impp. Chriſtianos: *Multa victoriæ debet æternitas veſtra, & adhuc plura debebit*. Cujus notæ plurima apud Panegyriſtas occurrunt. Certe Athanaſius in lib. de Synodo, exprobrat Arrianis, quod adulando ſic appellare conſueverint Conſtantium: *Suum autem Cæſarem* (ſcilicet Conſtantium) *æternum appellaverunt, qui filium Dei æternum eſſe negant*. Sed, cum jam antea oſtenderimus, Majeſtatem in Principe eſſe quendam Divinitatis radium, dici poſſet, Principes uſurpando hoſce titulos, voluiſſe ſolum innuere, ſe à Deo eſſe conſtitutos. Quomodo alias illi, qui Majeſtatem habent, dicere ſolent ſe *Dei gratia* hos aut tales eſſe. Eo facit quoque ipſum verbum Majeſtatis, quod à *Majus* convenienter derivari ſupra monuimus. Majus vero apud Latinos Scriptores ſæpe quid divini ſignat. Sic Horat. lib. 3. od. 20. *præda major*, pro præda divina, ut *vis major*, vis divina θεοῦβία, in jure civili. Ovidius lib. 9. agens de Hercule divinato ſive in cœlum recepto. *Majorque videri cœpit* -- Sic Ænæid. 11. -- *Et nota major imago*, id eſt, divina. Itaque Juve-

Juvenalis illud explicans Sat. 13.--*Tua*, inquit, *ſacra & major imago Humana*. Ovidius 6. Faſtor. lib.

Vix illam ſubito poſſes cognoſcere tanto
Sanctior, & tanto quam modo major erat.

Papinius Thebaide 8.--*Majorque chelyn mihi tendit Apollo*, id eſt; ſolito divinior. Ridicule Lactantius interpretatus, *furioſior*. Quando vero *æternitatis* titulus à Principibus aut uſurpatus eſt, aut iiſdem quoque delatus, eo nomine diuturnitatem eos ſignificaſſe crediderim: forte à quadam formula, qua olim reges ſalutabantur, id poteſt eſſe deductum, & in Epithetum verſum. Dicebant enim, Rex in æternum vive, id eſt, diu, & ſi fieri poteſt, in æternum: Græce εἰς τοὺς αἰῶνας ζῆθι. Exemplum occurrit Dan. 3. 9. Licet nonnemo cogitare poſſet, eos Majeſtatis voce, quæ propter ſummum ſui ſplendorem, nulli alij linguæ ſe ſubmittit, voluiſſe ſignare potentiam. Sic enim ratione ipſius Dei Fortianus Rhetor lib. 1. *Quamvis minus veriſimile ſit oculos recuperaſſe cæcum, tamen poſſumus credere, divina majeſtate aliquando alicui hoc eſſe conceſſum.*

XXII. Sed, an pariter Imperator Romanus fuit Dominus ὅλης τῆς οἰκουμένης, ſive totius terrarum orbis? Sic proxime teſtantem audivimus Ammianum Marcellinum de Conſtantio: ſimiliter teſte Voluſio Mœciano in decantata Nautica leg. *Deprecatio*, ſive leg. 9. ff. de Leg. Rhod. ad jactum, idem exiſtimaverit Antoninus Pius Imperator, qui in reſcripto Græco, quod ibi Ic. exhibet, diſerte ſe κύριον τοῦ κόσμου vocat. Ut mirum non ſit, Juſtinianum Imp. qui omnium præcedentium Auguſtorum, ambitioſos titulos, diviſos antea per ſingulos, adoptavit & collegit in ſua perſona, ſæpius hunc titulum ſibi arrogaſſe. Specia-tim in leg. 3. Cod. de Quadr. præſcript. ſe ipſum reſpiciens, dicit: *Qui enim ſuis conſiliis ſuiſque laboribus pro toto orbe terrarum die noctuque laborant.* & l. 13. Cod. de Judic. in princip. *Viſum eſt*, &c. *præſentem legem ſuper his per orbem terrarum, nullis locorum vel temporum anguſtiis coarctandam ponere.* Et ſæpius alias. Cæterum, quamvis, Imp. Fridericus primus, teſte Othone Friſingenſi lib. 1. in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

vita cap. 30. pariter gloriari inſtituerit ſe *orbis & urbis gubernacula ſuſtinere;* atque, haut pauci ex Icc. præeunte Bartholo ad *leg. Hoſtes. n. 7. ff. de Capt. & poſtl.* tutari hanc Theſin voluerint, Imperatori competere totius Orbis Imperium, & *hæreticum eſſe* (ſic Bartolus loquebatur l. d.) velle diſſentire: Nihilominus tamen (videatur Grotius lib. 2. de Jure Pacis & Belli cap. 22. nu. 14.) contraria ſententia longe verior eſt, & Scripturæ ac rationi magis conſentanea. Nam ut per *Deum* ſolum *reges regnant*, quemadmodum profatur æterna Sapientia, Proverb. 8. verſ. 15. ſic non minus per eum unum, qui eſt *rex regum ac dominus dominantium*, Apoc. 1. 5. & 17. 14. definitæ ſunt ὁροθεσίαι τῆς κατοικίας ἀνθρώπων, ut dicitur Act. 17. 14. nec minus mendacem, quam blaſphemum, ſecundum ſuum ingenium diabolus ſe oſtendit, coram ipſo Chriſto, quum ei in os, oſtenſis antea omnibus regnis terræ, auderet dicere, Luc. 4. 6. *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum regnorum: nam mihi tradita eſt, & cuicunque voluero, do eam.* Siquidem, verum eſt illud Davidis Pſ. 24. 1. *Iehova eſt terra, & quod implet eam.* & Pſ. 75. 6. 7. *Non enim eſt ab exortu aut ab occaſu, neque à deſerto eſt exaltatio: ſed Deus judex hunc deprimit, & illum extollit.* Ratio vero ipſa ſuadet, hanc quæſtionem non tam eſſe juris, (quod è Scriptura jam determinatum) quam facti, prout in Scholis vulgo loquuntur. Conſtat vero certo, nullo omnino tempore, per omnes orbis terrarum partes imperium ſuum dilataſſe Romanos principes. Scythæ, Perſæ, Indi Aſiatici, imo univerſus Oriens ultra Euphratem (ne jam dicam de populis Americanis, & remotioribus atque interioribus Africæ incolis) nunquam Romanis paruerunt: atque pleræque in Europa gentes, à Romanis varia προφάσει ſubactæ, ſæpius conqueſtæ fuerunt, de injuſtitia armorum, quibus domitæ fuerant. Nec putem Imperatores Romanos, ne quidem ipſum Juſtinianum, hunc titulum aliter uſurpaſſe, quam ex more ſeculi: quo receptum erat, ut vox *orbis*, *mundi*, & οἰκουμένης; addito quoque Epitheto *totius*, *univerſi*, aut ὅλης reſtrictive acciperetur ad Imperium Romanum. In ipſo N. T. Luc. 2. 1. dicitur edictum ex-

iiſſe ab Imperatore Auguſto, *ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*: quo loco certe non poteſt orbis, ſeu *οἰκουμένη* ulterius extendi, quam Romani Imperij faſces patebant. Notus quoque eſt ille Petronij locus in carmine ſeculari:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua tellus, qua ſidus currit utrumque.

Et tamen poſt paulo ſubjicit: *Et penitus toto diviſos orbe Britannos.* Neque enim alium *orbem* voluit intelligere, quam *Romanum*, prout loquitur Ulpianus Ic. leg. 17. cujus verba notatu digniſſima. *In orbe* (inquit) *Romano qui ſunt, ex conſtitutione imperatoris Antonini cives effecti ſunt.* At nunquam Perſæ, Indive, &c. jure civitatis gaviſi fuerunt. Sic vero locuti videntur Romani, quod ad omnes orbis plagas, ignari quouſque hæ ipſæ ſe extenderent, imperium propagaſſent. Notum illud Salluſtij: *Ea tempeſtate mihi imperium P. R. multo maxime miſerabile viſum eſt. Cui cum ad occaſum, ab ortu Solis, omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiæ adfluerent.* Similiter Lucanus lib. 7.

Haud multum terræ ſpacium reſtabat Eôæ,
Vt tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omnia atque errantes ſtellæ Romana viderent.

Quodque inter Solem quaſi Orientem & Occidentem, ex vulgi opinione, non ex rei veritate, determinatum cenſeretur eſſe Romanum imperium, *Romana dies* hoc ſenſu cœpit accipi. Politiores non ignorant illud Statij lib. 1. Sylv. 1.

---Stabit dum terra, poluſque,
Et Romana dies.

Quomodo & Martialis lib. 9. ep. 1. conſiderans templum gentis Flaviæ, à Domitiano extructum, dicit:

Manebit altum Flaviæ decus gentis,
Cum ſole, & aſtris, cumque luce Romana.

Atque huc reſpexiſſe quoque credo Ammianum Marcellinum, militem licet, & ſtyli minus politi, ſcriptorem tamen accuratum atque circumſpectum, quando lib. 19. de Conſtantio ſic loquitur: *Noſtris virtutes Conſtantij Cæſaris extollentibus, ut Domini re-*

rum & Mundi. & iterum lib. 23. de Juliano: *Tanquam mundi nationumque Dominum adorarunt Iulianum.*

XXII. Nec audiendi quoque ex Politicis ſunt, qui exiſtimant, convenientiſſimum fore, ut totus terrarum orbis unius imperio ſubſit, atque Imperator hujus terræ, Deo, cujus vicarius alias eſt agnoſcendus, ſit æqualis. Mihi ſane ſecus videtur, & arridebit perpetuo illud Auguſtini lib. 4 de C. D. cap. 15. *Videant ergo* (inquit) *ne forte non pertineat ad viros bonos, gaudere de regni latitudine. Iniquitas enim eorum, cum quibus juſta bella geſta ſunt, regnum adjuvit, ut creſceret: quod utique parvum eſſet, ſi quies & juſtitia finitimorum contra ſe bellum geri, nulla provocaret injuria, ac felicioribus ſic rebus humanis, omnia regna parva eſſent, concordi vicinitate lætantia. Et ita eſſent in mundo regna plurima gentium, ut ſunt in urbe domus plurimæ civium.* ac prudens admodum eſt Ariſtotelis, viri πολιτικωτάτȢ judicium, ſic per interpretem lib. 7. Polit. cap. 4. *loquentis:* Aliquis eſt etiam civitatibus magnitudinis, quemadmodum & aliarum rerum omnium; animantium, plantarum ſeu arborum, inſtrumentorum juſta magnitudo eſt. etenim unumquodque horum neque ſi nimis puſillum ſit, neque ſi magnitudine modum ſuperet, poteſtatem aut vim ſuam incolumem conſervabit: ſed interdum natura ſua prorſus orbatum erit, alias nullam utilitatem adferet. exempli cauſſa, navigium palmi quidem unius longitudinem non ſuperans, aut uſque ad duorum ſtadiorum longitudinem porrectum, non erit omnino navigium: adquandam vero magnitudinem progreſſum, modo propter parvitatem, navigationem incommodam reddet, modo propter magnitudinem immoderatam atque immenſam. *Hæc ille.* Nec aliud de Roma ipſa, quæ quaſi orbis caput putabatur, prudentiſſimi quique cenſuerunt. Egregie Florus lib. 3. cap. 12. *Ac neſcio, an ſatis fuerit populo Romano, Sicilia & Africa contento fuiſſe, aut his etiam ipſis carere, dominanti in Italia ſua, quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur. quæ enim res alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit: mox Aſiatica Pergameni Regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixere ſeculi mo-*

res: merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, remp. peſſum dedere. Atque hinc ipſa Roma, apud Claudianum de Bel. Gildonico verſ. 103. ſic gemens introducitur:

Quid mihi ſeptenos montes, turbamque dediſtis,
Quæ parvo non poſſet ali? felicior eſſem:
Anguſtis opibus mallem tolerare Sabinos,
Et Veios, brevior duxi ſecurius ævum.
Ipſa nocet moles. Vtinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci!
Sufficerent Etruſca mihi, Campanaque culta,
Et Quincti, Curiique ſeges; patriæque petenti
Ruſticus & proprias ferret dictator ariſtas.

XXIII. Sed, ut ad Imperatores Romanos, redeat oratio; quotquot ex illis civiles & moderati videri voluerunt, inter ſuam quaſi majeſtatem & reip. diſtinctionem fecerunt, aut potius unam atque eandem eſſe voluerunt tum ſuam, tum Senatus Majeſtatem. Atque hinc paſſim apud Tacitum ipſe Princeps cenſetur eſſe *caput*, reſpubl. vero corpus. Ut antiquiora omittam, veluti Alexandri Severi dictum, apud Lampridium *in ejus vitâ*, ita Julianus (de cujus peculiari erga Senatum cultu, quem Conſtantinus neglexerat, vide quæ Libanius ſcribit Orat. in Juliani necem p. 298. 299. & Ammianus lib. 22. p. 226.) l. 1. C. Th. *de exhib. reis & l.* 8. C. *de dignitatibus: Ius Senatorum*, inquit, & auctoritatem *ejus ordinis, in quo nos ipſos quoque eſſe numeramus.* Ita Valentinianus Jun. *l.* 32. C. *Th. de curſ. publ. Quanto magis his* (Senatoribus) facultas eſt deferenda, *quos collegii merito videre frequentius cupimus.* Theod. Jun. l. 180. *de decurionibus: Curiam ampliſſimam, cujus conſortio gratulamur.* Ut plura non addam, Corippus politus & elegans ſupra ſeculum ſuum poëta, lib. 2. Juſtinum Imp. ad imperij proceres ſic loquentem introducit:

---Vos ô mihi proxima membra,
Conſcripti Patres, noſtri ſpes maxima Regni,
Vos eſtis pectus, vos brachia verticis hujus.

Atque hæc eſt ratio, quare contra Senatores crimen quoque Maje-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Majeſtatis committi cenſuerunt Impp. in famoſa illa lege *Quiſquis*. Cod. ad L. Juliam Majeſtatis. Cum alias, Majeſtatis crimen, ſit τὸ χρῆμα τῆς βασιλείας, ut eleganter vocatur à Libanio declam. 4.

XXIV. Interim tamen, quod obſervatione digniſſimum eſt, Scriptores Romani accuratiores, eleganter diſtinxerunt inter Majeſtatem Imperij & Imperatoris. Hæc enim ut certæ ſolummodo perſonæ adhæret, ita nequaquam cum illa, quæ immortalis quaſi habetur, atque per totam remp. diſtributa eſt, confundi debet. Ita à Tacito lib. 1. Hiſt. cap. 90. *Majeſtas Romæ* notatur. per quam intelligit ipſam remp. Unde quoque lib. 2. Ann. cap. 79. eleganter diſtinguit inter magnitudinem Imperatoris, & ipſam *remp. quando dicit: Magnitudinem Imperatoris identidem ingerens, & Remp. armis peti.* Hæc vero ſub melioribus Principibus erat penes Senatum, & in eadem agnoſcebatur. Unde Plinius Junior lib. 2. ep. 11. quod ab initio dixerat, *Majeſtatem publicam*, poſtea vocat *Senatus dignitatem & amplitudinem.* Atque ideo à Tacito lib. 1. Hiſt. cap. 84. Senatus *imperij caput* vocatur. Et, hæc eſt illa ipſa Majeſtas imperij, de qua ſic eleganter Plinius in Panegyr. cap. 12. *Rogant*, (hoſtes ſcil.) *ſupplicant, largimur, negamus, utrumque ex imperij majeſtate, agunt gratias, qui impetraverunt*, &c. & in veſtibulo ejuſdem Panegyr. *Cum imperio Senatus, auctoritate reip. ad agendas optimo principi gratias excitamur.* eodem ſenſu cap. 17. accipitur *imperij dignitas.* Nec alia mihi videtur eſſe Romana Majeſtas, de qua ſic legas apud Florum lib. 4. cap. 2. *Quum Romana majeſtas toto orbe polleret.*

XXV. Cæterum Romanum Imperium, uſque à Conſtantino M. diviſum in Orientale & Occidentale, magnam partem à Germanicis gentibus jam tempore Honorij & Valentiniani III. occupatum, ipſaque Italia vexata à Viſigothis, Vandalis, & Herulis, occupata fuit ab Oſtrogothis, ut & ipſa Roma anno à C. N. 476. per Odoacrum. Egregie Jornandes lib. de Regn. Succes. poſtquam egiſſet de Odoacro & Auguſtulo, hæc ſubjicit: *Sic Heſperium Regnum, Romanique populi Principatus, quod* DCCIX. *V. C. anno, primus Auguſtorum Octavianus Auguſtus tenere cæpit, cum*

 hoc Au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

hoc Auguſtulo perijt: Gothorum de hinc Regibus Romam tenentibus. Atque hic Italiæ ſtatus fuit præter propter, uſque ad annum Chriſti CCCCCXL. Hoc enim tempore, cœpit per Beliſarium Gothis Italiam eripere Juſtinianus Princeps, nutante Italiæ imperio, ferme per annos XII. inter Gothos & Romanos Imperatores, in Oriente tum ſedem ſuam habentes. Nec, pulſis Gothis, ultra XV. annos Imperatores Italiam tenuere. Siquidem, anno à Chriſto nato DLXVIII. Narſes, irritatus à Sophia conjuge Imp. Juſtiniani, Langobardos, quorum dux erat Alboinus, è Pannonia excivit; qui pulſis Imperatorum præſidiis, totam ferme Italiam ſubegerunt, ſic, ut remanſerint ſolummodo Cæſaribus Roma cum ſuis pomœriis, Pentapolis, Exarchatus Ravennatenſis proprie ſic dictus, & Urbs Venetiarum. Licet & hæc ipſa poſtea ceſſerint Langobardis, atque præter Romam & Venetias in Italia non occurrerit, quod Romani imperij nomen retineret. Donec anno à Chriſto Nato 756. Pipinus Francorum rex, pulſis Langobardis, tum populo, tum Pontifici Romano reſtitueret Exarchatum Ravennatenſem cum Pentapoli. Ejus filius Carolus cognomento M. devicto Deſiderio Langobardorum rege anno 774. nihil quidem Romanis reſtituit, dictus tamen eſt non minus Langobardorum, quam Francorum rex. Nec hoc tempore Orientales Imperatores, quorum imperij caput erat nova Roma, ſive Conſtantinopolis, in Italia aliud poſſederunt niſi Beneventanum Ducatum, amplius in patrocinium ſuum ſuſcepta ultima Calabriæ ora. Atque, ut hæc omnia jure victoriæ conſecutus fuit Carolus M. ita ipſis feriis Natalitiis adeoque finiente anno à Chriſto Nato IↃCCC Romæ, conſentiente & probante P. R. per Leonem III. Pontificem, proclamatus fuit Cæſar Auguſtus, eique hereditario jure collatum eſt dominium Romæ & omnis patrimonii Petri. Nec tamen aut Carolus M. aut ejus poſteri, licet Auguſti, potuerunt conſequi, quæ ab Imperio alienata erant: neque ad illud redierunt unquam, Pannonia, Dacia, Hiſpania, & Britannia; ne de aliis provinciis jam dicam. Porro accurate Carolus M. titulos regni Francorum & Langobardo-

bardorum, à nomine Cæſareo diſtinxit, ut oſtenderet ſe hæc omnia diverſo jure tenere. Quid quod, multi ex Caroli poſteris, avitum imperium inter ſe dividentibus, Imperatorium nomen ne quidem affectarunt, atque, filij Ludovici Pii tres, quiſque ſuis provinciis cum ſumma poteſtate præfuerint; Carolus quidem Galliæ, Ludovicus Germaniæ, & Lotharius aſſumpto Imperatoris nomine Italiæ, mediæque parti Franciæ inter Scaldin & Rhenum, quæ ab ejus nomine dicta fuit Lotharingia. Carolus autem Craſſus, & Arnolphus ad modicum ſolum tempus Imperatores audierunt. Item Ludovicus IV. filius Arnolphi (in quo ſtirps Carolina anno à Chriſto N. 912. defecit) illiuſque ſucceſſor, Conradus Franconiæ Dux, ne quidem affectato Cæſaris titulo, diu imperarunt. Idem exiſtimandum eſt de Henrico I. & Othone Magno, uſque ad annum Chriſti 962. qui præfuerunt Germaniæ, ut Francorum reges, libera & abſoluta poteſtate, ſub titulo Regum Franciæ. Licet non ignorem Conradum I. & Henricum I. à vulgo Scriptorum vocari quoque Cæſares: quod ſolide mihi diluiſſe videtur *Onuphrius Panvinius lib. de Comitiis*. Dicto vero, anno à Joanne III. Pontifice, tanquam Patritio Romano, conſentiente populo & clero, Otho cognomento Magnus, ſalutatus & coronatus fuit Imperator. De quo ſic Regino: *Rex natalem Domini celebravit Papiæ, indeque progrediens Romæ favorabiliter ſuſceptus, acclamatione totius Romani populi & Cleri, ab Apoſtolico Ioanne Alberici filio, Imperator & Auguſtus vocatur & acclamatur.* ſimul conſecutus eſt ſummum imperium in ipſam urbem Romam, ſic, ut juramentum fidelitatis, non modo tribus vicibus ei cives Romani præſtiterint, verum, ut alia mittam, pro arbitratu iis etiam Magiſtratus dederit. Idem jus retinuerunt ipſius poſteri, adeo, ut Theophanis Imperatrix, uxor Othonis II. pro filio Othone III. impubere adhuc, teſte Lamberto Schafnaburgenſi, Romanam temp. gubernarit, ac ipſe Otho III. in tabulis Sylveſtro Papæ datis, Romam appellet, *ſuam urbem regiam*. Quomodo & ex Hiſtoriis conſtat, longo tempore poſt, Imperatores hoc ſuum jus in urbem Romam, tuitos fuiſſe, atque multoties

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Germanorum ſanguine, non modo ipſam Urbem periculis variis exemiſſe, verum ipſos quoque Pontifices tuitos fuiſſe. Circa Conradi III. & Frederici I. ſeculum, tentarunt quidem cives Romani jugum excutere, atque anhelarunt ad avitam libertatem & Majeſtatem, verum irrito ſucceſſu: ut legere eſt apud Othonem Friſingenſem lib. 2. vitæ Friderici cap. 21. Ex quibus omnibus ut patet, & ante Othonem M. & poſt eum, Imperium, quod Imperator per Germaniam habet, & olim per Italiam quoque Langobardicam habuit, nequaquam dependere ab urbe Roma, minime vero à Pontifice Romano, quaſi aut illa, aut hic ſive procurator, ſive collator cenſeri debeat illius Majeſtatis, quæ in Imperatore Germanico conſpicitur. Sed dicet aliquis, quare ergo vocatur Imperator Romanus, & ipſum Imperium Romanum? Non putarim vero, certa aliqua ratione, ſic Imperatores per Germaniam primos, denominatos fuiſſe: ſed potius conſuetudine quadam, atque communi uſu loquendi. Certe ante annum milleſimum à N. C. raro nomen hoc apud Scriptores invenitur: invaluitque vel à Roma, tanquam primaria urbe, in quam cum Imperatores jus haberent (ut jam obſervatum eſt) univerſo imperio denominando & definiendo ſervire potuit; vel ideo, quod Imperatores Germanici cenſerentur ſucceſſores priſtinorum Impp. Romanorum, licet Occidente, multis ſeculis ante (prout annotatum fuit) per vim majorem, bello illatam, ejectorum. Aut etiam, quamcunque aliam ob cauſſam, non hanc tamen, quaſi Imperatoria Majeſtas Roma uſque accerſenda fuerit, aut ſuſpenſa unquam ſit à Papæ arbitratu.

XXVI. Sed forte, quis exiſtimabit, propterea Imperium Germanicum, cenſendum eſſe, continuatum cum ipſo Imperio Romano, ſi non eidem ſuccenturiatum, quod ipſa Roma cenſeatur æterna? Notum illud Tibulli lib. 2. eleg. 5.

Romulus æternæ nondum formaverat urbis
Mœnia, conſorti non habitanda Remo.

Et Auſon. Præf. ad Faſt.

Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ.

Jupiter Virgilianus lib. 1. Æneid.

Imperium ſine fine dedi.

Quomodo & apud Simmachum atque Ammianum Marcellinum, paſſim Roma æterna Urbs dicitur: ſimiliter & in quibuſdam nummis legas hanc inſcriptionem: ROMÆ ÆTERNÆ. Sed hoc blaſphemum eſt. Roma enim fuit temporalis, (ut hiſtoria docet) atque æternitas, ad modum Epitheti, ſoli regno Chriſti convenit, de quo inter alia conſulendus Pſ. LXXII. Adeo, ut haut præter cauſſam hoc ſuperbum Romæ elogium arguat Proſper Aquitanicus in Dimidio Temporis, cap. 7.

XXVII. Imperator vero Germanicus modernus, (ut ad illum accedamus) ut ſubjective Majeſtatem habet; ita eandem non accipit jure naſcendi, ſed ſecundum definitam Imperij legem, per modum delegationis non minus congruum, quam rationabilem. Siquidem ſecundum tenorem Aureæ Bullæ Caroli IV. eligitur à Septemviris (hodie ſecundum pacem Monaſterienſem ab Octoviris) & dicitur Rex Romanorum: ſic tamen, ut poteſtatem in Imperio, pleniſſime demum conſequatur per inaugurationem, ceu, coronationem ſolemnem, qua confirmatis unicuique privilegiis, ipſe ſolet non minus Imperator ſalutari, quam eidem fides promitti. Quæ hoc loco, quod alio pertineant, atque ab inſtituto noſtro aliena ſint, plenius pertractare ſuperſedemus. Propoſitum duntaxat nobis eſt, de Majeſtate agere, quam ratione modernorum Imperatorum Romano-Germanicorum, ſuccincte qnoque deinceps expendemus.

XXVIII. Hoc ſolum loco, (quod cœpimus jam innuere Theſi XXIV.) notetur, videri diſtinguendum eſſe inter Majeſtatem Imperatoris & Imperij. Supereminens vero illa Imperatoris Germanici Majeſtas, inferior cenſeri debet ipſius Imperij Majeſtate, atque Imperator ob collatam hanc ab Imperio Majeſtatem, ſic temporalis in Imperio Germanico Monarcha, ut tamen ſubſit illis Imperij Proceribus, qui in Comitiis Imperialibus repræſentant Majeſtatem Imperij: neque enim exiſtimandum eſt, eos per Electionem & coronationem Imperatoris, uſque adeo plena manu in hunc Majeſtatem contuliſſe, ut ejus ra-

dij debeant offuſcari in ipſo Imperio. Patiuntur Imperatorem per ſe ſic eſſe temporarium Monarcham, collata à ſe Majeſtate conſpicuum, ut tamen ipſi, in Comitiis Imperialibus congregati, non modo maneant ἄρισοι, verùm etiam agnoſcantur ipſo Imperatore majores: majeſtate Imperatoria faſces ſubmittente Majeſtati Imperij. Atque ideo Elector Moguntinus pro Electione Caroli V. contra Franciſcum I. Galliarum Regem, ſic diſſerit apud Sleidan. lib. I. Hiſt. *Animi magnitudinem illi tribuunt; ſed ad Monarchiam illa ſpectat: Nobis autem inprimis eſt Ariſtocratia retinenda.* & apud eundem Hiſtoricum lib. 24. Mauritius Saxo Carolum V. incuſat; *quod ipſe aliquot per annos in eo totus fuerit, quo Monarcha, ſubactis Imperij Principibus ac Statibus, evaderet*: quomodo & lib. 25. teſtis eſt, Galliæ regem publice literas propoſuiſſe, quibus teſtetur, *Se intellexiſſe è Germaniæ Principibus, Carolum Monarchiam ſibi conſtituere velle.* Nec aliud exiſtimari debet de moderna Imperij Germanici facie, quæ deformari licet poſſit, hactenus tamen, per Dei gratiam, tota non eſt obliterata.

XXIX. Examinato hactenus ſubjecto, ſive perſonis, quibus, per modum delegationis, Majeſtas cedi atque obtingere ſolet; proxime conſiderare debemus eos ipſos, quibus jus illud delegandi competit: qui hactenus ut cenſentur ſuperiores eſſe, ita nullus major, ſuperiorve ipſo Deo occurrit. Illi primo, principaliter, atque eminenter Majeſtatem competere, jam ſupra, è Scriptura evicimus: atque hoc omni ſeculo faſſi fuerunt ſummi quique Principes & Magiſtratus. Imo inter illos, ipſe quoque Juſtinianus Imp. quem, ut circa Majeſtatem plus æquo ambitioſum, ſupra non potuimus non obiter notare. Hic ita auſpicatur ſuam Epiſtolam, quam ad Tribonianum ſcripſit de Conceptione Digeſtorum: *Deo auctore noſtrum gubernante imperium, quod nobis à cæleſti majeſtate traditum.* Similia habet in præfatione Novellarum, quæ inſcribitur, *Ioanni glorioſiſſimo ſacrorum per Orientem Prætoriorum Præfecto, iterum ex conſuli & patricio.* Manifeſtiſſimum vero illud fuerit, ſi conſideraverimus duo, triave è Scriptura exempla, atque in illis attenderimus, quomodo Deus hoc ipſum,

modo

modo quam admirando, partim immediate, partim mediate egerit. Atque primitus expendatur ipſius Moſis vocatio, quam non illa admiranda? Per Angelum Jehovæ (qui ipſe fuit Jehova, &, ut multis jam olim veriſimiliter admodum viſum fuit, Dei Filius) cum oves paſceret vocatus eſt, ut eſſet liberator populi, (Exod. 3.) & conſequenter ſupremus Magiſtratus Jiſraelitarum, admodum afflictorum: quo munere, cum inter plurimas difficultates, brachio Dei perpetuo firmatus, defunctus eſſet, morti vicinus, ſibi ſubſtituit Joſuam, Deut. 31. 7. atque, cum Joſua quoque ante mortem, populum (Joſ. cap. 24.) ſolemniter adegiſſet ad renovandum fedus cum Jehova, tribui Judæ detulit imperium, & ſimul dubio procul Othonieli, ſeu Othnieli, Calebi ex fratre nepoti ceſſit principatum, Jud. 3. 9. 11. nec dubitandum eſt, quin hoc contigerit, uſquedum Deus populo ſuo in ira daret Regem. Quem tamen ipſe ex millibus in Iſraele elegit. 1. Sam. 9. 3. cumque Saul ejectus eſſet, 1. Sam. 15. verſ. 23. & 24. Deus elegit iterum ſibi Davidem, 1. Sam. 13. 14. qui deinde, morti vicinus, ſucceſſorem ſibi deſtinavit filium Salomonem, 1. Reg. 1. 39. atque, ſic deinceps, ſucceſſive per Deum (verum mediate) populo ſuo dati ſunt Reges & anteceſſores, nonnunquam mali quoque & populo immorigero in pœnam. Nempe tam malis quam bonis Regibus, regnum à Deo indultum eſt; qui alios ad regnum benigne vocat, alios nobis merito infenſus, ut ſint *virga iræ ſuæ*; quod de Aſſyriæ Rege dicitur Eſai. 10. 5. Hinc Oſ. 13. 11. *Dedi illis Regem in furore meo.* Et Eſ. 19. 4. *Tradam Ægyptum in manum Dominorum crudelium.* Et Job. 34. 30. Juxta vulgatum Interpretem, *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Nec tamen Deus eſt author malitiæ, quæ in malis magiſtratibus invenitur, ſed duntaxat ordinator & director admirandus. Egregie Auguſtinus de Gen. ad lit. cap. 5. *Nam*, (inquit) *& vitiorum noſtrorum non eſt auctor Deus, ſed ordinator eſt: quum eo in loco peccatores conſtituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur.* &c. *Quædam ergo & facit & ordinat: peccatores autem, in quantum peccatores, non facit, ſed ordinat tantum.* Et ſic verum eſt, quod dicitur Pſal.

57.7.8. *Non enim ab exortu, aut ab occaſu, neque à deſerto eſt exaltatio: ſed Deus judex, hunc deprimit, illum extollit.* Nam ut Deus *conſtituit reges* (ſcil. ſive mediate, ſive immediate) ſic etiam *eoſdem transfert*, Dan. 2. 21. quatenus, ut dicitur Job. 12. 18. *Vinculum Regum ſolvit, & ligat frænum in renibus eorum.* hoc eſt, vinculum Majeſtatis, quo principes ſubditos in officio continent, laxat; procuratque, ut ſubditi Tyrannidis jugum, quo inique premuntur, excutiant.

XXX. Quæ diximus de malis principibus, à Deo quoque conſtitutis, monent nos, & iis obſequium deferendum eſſe: nam commune eſt principibus omnibus quod de Cyro apud Iſaiam 45. 1. ſpeciatim dictum: *Subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum, ut ſcias, quia ego Dominus.* Iſaiæ vero convenit Ieremias 27. 6. cum ait: *Ego dedi omnes terras iſta in manu Nabuchodonoſoris Regis Babylonis ſervi mei, & beſtias agri dedi ei, ut ſerviant illi, & ſerviant ei omnes gentes, & filio filij ejus, donec veniat tempus terræ ejus, & ipſius, & ſervient ei terræ multæ, & Reges magni, gens autem, & regnum quod non ſervierit Nabuchodonoſori Regi Babylonis, & quicunque non curaverit collum ſuum ſub jugo Regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peſte, viſitabo ſuper gentem illam, ait Dominus Omnipotens.* Vocat Dominus Nabuchodonoſorem ſervum ſuum, non quod devotæ mentis obſequio, ſe divino numini ſubjectum agnoſceret, eamque quam debuiſſet exhiberet ſervitutem; ſed quod illo Dominus, ut miniſtro aut carnifice ad puniendos noxios uteretur. Quam etiam ob cauſam ut ſervo, aut carnifici ſuam Dominus mercedem conſtituit. ut pulchre Ezechiel 29. 18. *Fili hominis,* inquit, *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna adverſus Tyrum, omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt* (geſtatione ſcilicet galearum & geſtatione ponderum, veluti fit in bello) *& merces non eſt reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro, pro ſervitute, qua ſervivit mihi adverſus eam. Pro-*

pterea

ptereà hæc dicit Dominus Deus. *Ecce ego dabo Nebuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet ſpolia ejus, & erit merces exercitui illius; & operi quo ſervivit adverſus eam. Dedi ei terram Ægypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Quod vero hic monemus, privatos maxime concernit, quorum ratione verum ſemper manere debet illud Taciti: *Bonos principes votis expetere, qualeſcunque tolerare.* Eoque, modo conſcientiis vim non faciant, mali principes à ſubditis (Ephoros in communi conſideratos excipio) eodem in honore habendi ſunt, quo boni, quod ad publicam obedientiam attinet. Nec hoc in caſu ſubditis aliud reliquum, quam ut peccatorum ſuorum recordentur, & Domini opem implorent, cujus in manu ſunt regum corda & regnorum inclinationes, Prov: 21.1. Quam admiranda vero ratione Deus, qui ſolus in hominis ſpiritum dominatur, principum corda vel ad clementiam pro ſubditorum conſervatione, vel ad iram pro eorundem interitu inclinare queat, patet ex hiſtoria Heſtheris cap. 6. Item Eſr. 2. 3. Nehem. 2. 8. Nam ratione regum (impiorum quoque) maxime valet illud Davidis Pſ. 33. 15. *Formator cordis eorum animadvertit ad omnia opera eorum.*

XXXI. Quæ dicta ſunt de obedientia à ſubditis privatis, præſtanda quoque Magiſtratibus malis, non tamen ſervire debent patrocinandis horum ſceleribus: nec hic præſidium inveniunt, quicunque aut per vim imperium invadunt, aut malis artibus occupant. Nullus ſecundum Deum legitimus habetur Magiſtratus, niſi qui ab ipſo imperium acceperit, tanquam *conventum*, ut dicitur Pſ: 75. 3. Nec tolerantiâ Dei, pariter cenſeri debent probari ſive Tyrannorum molimina, ſive machinationes eorum, qui munus non ſuum, gerere ſuſtinent. Ratione populi verum eſt illud Hoſeæ cap. 13. 11. *Dedi tibi regem in furore meo, & abſtuli in ira mea.* Nam qui dat reges, eo & auferendi poteſtatem habet. Scilicet, in manu Dei tales Magiſtratus ſunt veluti virga, qua ubi ad caſtigandum ſuum populum fuerit uſus, ſolet eam diſcerpere, & poſtea per partes cremare. Connivet quidem ad eorum exaltatio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

exaltationem, atque videtur ſtabiliturus eſſe eorundem thronum, ut poſtea eos in calamitatum barathrum præcipitet. Semper injuſti imperij auſpicia componere convenit, cum fine & exitu. Unus Jeroboam inſtar omnium ſit, eum Jehova Iiſralitis regem deſtinavit, viſuſque eſt regnum illius firmare; ſed eventu hoc docente, à parte Jeroboami, nullam aliam ob cauſſam, quam ut horrenda poſtea ruina totam illius domum peſſundaret.

XXXII. At quærat quis, an quicunque per vim, aut malis artibus regnum occuparunt, ſemper, & ratione quoque poſterorum, cenſeri debeant majeſtatis iniqui occupatores? Haud equidem putaverim, modo regnum injuſte partum juſte adminiſtrent, ut Cypſelus & Periander Corinthi, Orthagoræ ſtirps Sicyone, Gelon & Hiero Syracuſis, & deſit legitimus ſucceſſor: & invaſor alieni regni non amplius imperet invitis ſed volentibus, ac in ejus verba populus, & regni ordines, & magiſtratus, non coacti ſed ultro juraverint. Sunt enim hodie regna non pauca florentiſſima & bene conſtituta, quibus tamen initium dedit non jus, ſed vis, bellique fortuna: nam ſi res à prima memoria repetas, invenies effuſos in alienum ſolum barbaros, allectos cupiditate prædæ, fuſas acies, victorumque fortunas ceſſiſſe victoribus in præmium victoriæ. Nam primo exiſtimo voluntatem populorum, fidemque datam, legeſque non per vim, ſed ex æquo & bono conſtitutas, jus acquirere novo regi, & maximum eſſe regiæ poteſtatis firmamentum. Adde ſecundo, quod non ſecus ac proceræ arbores ſuo caſu multas in ambitum arbuſculas obterunt, ita Regum quantumlibet injuſtorum caſus, multos innocentes pari ruina involvit, nec ſemel bene conſtituta Reſpublica, poteſt per vim mutare dominum ſine publica pernicie. Qua de re habes inſignem locum Auguſtini in Pſal. 124. *Aliquando*, inquit, *injuſti perveniunt ad honores ſæculi, cum pervenerint & facti fuerint vel judices vel Reges, quia hoc facit Deus propter diſciplinam populi ſui, non poteſt fieri niſi ut exhibeatur illis honos, debitus poteſtati.* Poſtremo plurimum refert, ut controverſiæ de

regnis

regnis & provinciarum poſſeſſionibus, quoad fieri poteſt, ſopiantur: quibus nullæ aliæ potiores ſunt movendo orbi & pulicæ tranquillitati perturbandæ. Atqui ſine quo ſalus ſua non conſtat mundo aut pax humano generi, illud indubie ipſa natura diligentiſſime vult obſervatum. Hinc ſane apud omnes gentes confeſſum, poſſeſſiones publicas non minus quam privatas multo tempore ita firmari, ut revelli nequeant; quod multis teſtimoniis, interque ea ipſius Jephtis, præclare docet Hugo Grotius *lib.2. de jure belli ac pacis c.4. n.11. & in annotatis.*

XXXIII. Priuſquam vero diſtincte indicamus eas perſonas, per quas mediate, ſecundum ſubjecta, Majeſtas conferri ſolet; Romanum Pontificem, Hildebrandinis & artibus & canonibus nimis quam elatum, ex re eſt ſubmovere. Ille jam olim ſibi arrogavit poteſtatem conferendi Majeſtatem, per diſtributionem regnorum & imperiorum, exemplo diaboli, Matth: 4. & Luc: 4. Sic enim in Clementina Paſtoralis, Clemens V. ſuas buccas inflat: *Non tam ex ſuperioritate quam ad Imperium, non dubium eſt nos habere, quam ex poteſtate in quam vacante Imperio Imperatori ſuccedimus*, &c. Ibidemque Siciliæ Regem vocat *ſuum ſubditum, hominem ligium & vaſallum* Et cap. fundamenta de electione in 6. *Conſtantinus in ipſa urbe utriuſque poteſtatis Monarchiam Romanis Pontificibus declaravit.* En Papas duplici nomine Monarchas! Cui decretali, neſcio qua fronte auſi ſint doctores canonici gloſſam hanc apponere: *Roma fundata à Prædonibus adhuc de primordiis retinet, dicta Roma quaſi rodens manus.* Quin & additur hic verſus: *Roma manus rodit: quos rodere non valet odit.* Uſque adeo ipſis Romanis Canoniſtis viſa eſt intolerabilis hujus decretalis arrogantia, ut voluerint eam hac gloſſa quaſi obelo confodere. Capite Venerabilem de electione Innocentius III. ſic loquitur: *Sedes Apoſtolica Romanum Imperium, in perſona magnifici Caroli, à Græcis tranſtulit in Germanos*, & paullo poſt: *Ius & autoritas examinandi perſonam electam in Regem & promovendam ad Imperium ad nos ſpectat.* Sic Pius V. in ferali illa bulla qua in Elizabetam Reginam μακαρίτlω detonuit, ait ſe *Solum à Deo conſtitutum principem in omnia Regna, ut*

evellat, deſtruat, perdat, diſſipet, & plantet. Satis quidem pro imperio. At cum relego epiſtolas Petri Apoſtoli, cujus hic ſe ſucceſſorem venditat, nihil tale invenio, neque enim jactat ſuos titulos, neque contorquet fulmina, nec Reges de ſolio præcipitat, ſed meram humilitatem ſpirans, totus eſt in cohortationibus ad fidem, ad patientiam, moreſque compoſitos. Concilium Lateranenſe ſub Leone x. Papam nuncupat totius orbis Principem, Seſſ. 1. & *Sacerdotem ac Regem*, Seſſ. 3. & *Imperium ſanctitatis veſtræ!* Tum *Regale Pontificum Romanorum genus.* Unde & mitra triplex qua redimitur vulgo vocatur REGNUM, neque aliter appellatur toto libro ſacrarum Cæremoniarum. At quis ad hæc non obſtupeſcat? Atque mirum eſt, adeo impudentem eſſe Pontificem, ut hanc poteſtatem conferendi Majeſtatem, ſibi vindicare auſit, quum eo ipſo teſte in Jure Canonico, hac ratione arguatur Tyrannidis, in illo enim ſequentia invenio argumenta. 1. Quia per Impp. & reges ſeculi, Deus generi humano jura diſtribuit; tolle jura Impp. & quis audet dicere, mea hæc eſt villa, meus eſt ille ſervus, aut domus hæc mea eſt. *c. quo jure diſt.* 8. 2. Ad regem, non ad Eccleſiam pertinet de poſſeſſionibus judicare. *c. cauſam.* 7. *extr. q.* 1. *filij ſunt legitimi.* 3. Quum Pontifex nomen Imperatorium non debeat uſurpare, nec ſecularibus ſeſe negotiis implicare. *c. cum ad verum diſt.* 96. 4. Imo, ſi ſecularibus ſeſe negotiis immiſceat, indignum ſit, ei ab Eccleſia ſubveniri. *c. ſacerd tib.* 2. *Extr. ne clerici ſecul. ſeſe neg. immiſc.* 5. Ideoque in ſeculares juriſdictionem non præſumat. *c.* 5. *extr. eod.* Quæ ergo Tyrannis, quod hic ſervorum ſervus, non minus in ipſum Imp. quam alios terræ Principes jus ſibi arrogare auſit?

XXXIV. At per Impp. Romanorum in occidente clades, & quorundam qua Francicorum, qua Germanicorum Cæſarum nimiam atque præpoſteram indulgentiam, erga Epiſcopum Romanum, emerſit Papa & ſimul cum eo natus Antichriſtus. Quod, cum ex hiſtoriæ veritate, graphice præ aliis doceat Machiavecllus, non abs re fuerit, eum ad ſuffragium vocare. Illius vero hæc ſunt verba in præclaræ ſuæ hiſtoriæ Florentinæ lib. 1. quam

dicavit Clementi VII. Pontifici. *Cum ergo,* inquit, *Imperator factus eſſet Chriſtianus, & ſe Conſtantinopolim recepiſſet, inde ſecuta eſt inclinatio Imperii Romani, & Eccleſiæ Romanæ incrementum. Nihilominus uſque ad adventum Longobardorum (cum Italia tota Imperatoribus aut Regibus eſſet ſubdita) Pontifices ea ſolum authoritate pollebant, quam eis morum & doctrinæ ſanctitas conciliabat. Cæteris in rebus, obſequebantur Imperatoribus aut Regibus, qui aliquoties eos morte affecerunt, & in ſuis negotiis civilibus eorum miniſterio uſi ſunt. Præcipue vero Theodoricus Rex ſedem regni Ravennæ locans, authoritati Papæ magnum momentum addidit: quia cum Romæ præſentia Principis eſſet diſtituta, Romani ut haberent aliquod refugium, Papæ impenſius obſequebantur. Non multum tamen inde crevit ejus authoritas: ſed tantum Eccleſia Romana hanc prærogativam aſſecuta eſt, ut Eccleſiæ Ravennati anteponeretur: At cum Longobardorum adventu Italia in plures partes eſſet ſciſſa, data eſt occaſio Pontifici vires ſuas augendi. Factus enim eſt propemodum Princeps Romæ, inde Imperator Conſtantinopolitanus & Longobardi, eum tanto honore proſequebantur, ut Romani Papæ interventu, cum Longobardis & Longino fœdus percuſſerint, non ut ſubditi, ſed ut ſocii. Et hoc pacto Pontifices inter Longobardorum & Græcorum amicitiam medij, & nunc horſum, nunc illorſum inclinantes, augebant ſenſim ſuam dignitatem. At paulo poſt accidit ruina Imperii Orientalis ſub Heraclio à Sclavis, Perſis, Sarracenis,* &c. Addit auxilium petitum à Francis adverſus Longobardos, & bellis omnibus, quibus ab eo tempore Italia afflicta eſt Pontifices cauſam fuiſſe. Denique his verbis claudit ſermonem: *Quocirca ad ſcribendas res, quæ ſunt conſecutæ non opus erit immorari ruinæ Imperij Romani, quod plane corruit, ſed incrementis Pontificis.*

XXXV. Quotquot vero ex Impp. & Regibus in orbe Chriſtiano præ aliis unquam generoſiores fuerunt, hunc Septicollis Urbis Tyrannum contempſerunt. Ex quibus ſuo merito, primo loco hic commemorandus Fredericus Barbaroſſa, qui cum anno 1155. per Rollandum (is poſtea dictus eſt Alexander III.) legatum Adriani IV. ſollicitaretur, vellet à Pontifice diadema accipere, gravem in caſtris ad urbem Papiam adverſus Papæ faſtum

orationem habuit. Quam cum Guntherus Ligurinus lib. 6. quam cultis exhibuerit verſibus, non abs re fuerit aliquos ex illis, hoc loco exhibere. Ita ergo Fridericus Imp. apud Guntherum fatur:

Cum mihi conſenſu divina potentia veſtro
Imperium frænare manu, cunctiſque per orbem
Gentibus Auſonium dederit ſancire timorem,
Si quid opinato gravius dignumve querela
Inciderit, veſtras juſtis conqueſtibus aures
Pellere non timeo: quorum me munere regna
Et primò cepiſſe, & nunc accepta tenere
Glorior, & nunquam memorem gratumve pigebit.
Inde fit ut ſummi (modò dicere fas ſit) iniquos
Pontificis vobis cogar depromere faſtus.
Nam cum Chryſopoli, magna cum plebe potentum
Conſilium nuper ſummis de rebus haberem,
Advenere duo falſi de ſede prophetæ,
Romana quiſe mandata ſalubria nobis
Ferre paciſcentes, & toti commoda regno;
Dulcia miſcuerant ſecreto mella veneno.
Nam cum cæpta legi nobis à Præſule miſſa,
Prima parte ſui ſapuiſſet Epiſtola pacem,
Protinus expreſſis auſa eſt ſubjungere verbis,
Illius nobis collatum munere regnum,
Imperij faſces, & ſceptri jura dediſſe,
Et gaudere datis, & ſi majora dediſſet,
Nunquam Pontificem facti, donive pigere.
Quem cum legati viva quoque voce furorem
Adſtruerent, tantis exarſit curia flammis,
Vt niſi ſedato tumidis præſentia motu
Noſtra tuliſſet opem, miſeranda clade rediſſent.
Ecce paterna fides, & magni Præſulis alma
Integritas, humiliſque Petri Veſtigia ſectans.
Iam non ferre crucem domini, ſed tradere regna
Gaudet, & Auguſtus mavult, quam Præſul haberi.

Ne de

Ne dicam de aliis Impp. Romano Germanicis, Othone Magno, Henrico IV. Ludovico Bavaro, aliiſque, qui Imperij jura ſtrenue contra Papæ Tyrannidem & Hildebrandinas artes ſua ætate tuiti ſunt: non poſſumus non meminiſſe Philippi Pulchri Galliarum Regis, quem cum ſibi ſubeſſe vellet in temporalibus Bonifacius VIII. nec audiretur, procudit celebrem illam Extravagantem Bullam, *Vnam ſanctam*, qua, velut manipulo continentur omnia Papanæ Hierarchiæ argumenta. Sed hæc tam parum cordatum Regem moverunt, ut ad Papam literas dederit, quarum tenor hic eſt, *Philippus Bonifacio ſalutem modicam, aut potius nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus, nos alicui non ſubeſſe, aliquarum Eccleſiarum & præbendarum vacantium collationem ad nos jure regio pertinere, & fructus earum vacatione durante noſtros facere. Collationes à nobis factas & in poſterum faciendas fore validas, & illarum vigore poſſeſſores contra omnes nos tueri. Secus autem credentes fatuos & dementes reputamus.* Quem Bonifacius ut ulciſceretur, regnum Galliæ dat Alberto Imperatori Germaniæ, omnes indulgentias Gallis datas revocat, Regem anathemate notat. At ne hæc quidem bruta fulmina, ex arce Tarpeia, Regem de jure ſuæ Majeſtatis probe edoctum, percellere potuerunt. Quemadmodum fuſius referunt Guagninus, Paulus Æmilius, & alij, quos ex re eſt conſulere. Cordate proinde Petrarcha lib. I. de remed. utriuſ. fort. dial. 107. ſub finem hiſce verbis Pontificem alloquitur: *Cave ne dominorum dominus fieri velis. Memento profeſſionis. Memento debiti. Memento domini, qui merito nulli magis, quam vicario læſus iraſcitur.* Petrarcham, utpote Tyrannidis hujus adverſarium ſua ætate ſummum, non potuit non ad ſuffragium vocare, Thuanus hiſtoricorum accuratiſſimus. Sic enim lego apud eum lib. 2. *Ita Romanus Pontifex ab Imperatoribus prius creari ſolitus, arbitrium ſummi inter Chriſtianos Principatus conſtituendi ad ſe paulatim traxit. Vt non immerito F. Petrarcha indignabundo animo miratus ſit, quænam iſta ſuperbia eſſet, principem Romanum, libertatis authorem, libertate privare, ut cujus eſſent omnia, ipſe non ſit ſuus.*

XXXVI. Si vero aliunde probari non poſſet, certe hinc evidenviden-

videntiſſime conſtat, Romanum Pontificem eſſe hominem il-lum peccati, quoniam ὑπεραίρει ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα, *effert ſe adverſus quicquid dicitur Deus vel numem*. 2. Theſſ. 2. 4. Atque Antichriſtum, ſeu juratum Chriſti adverſarium eſſe (ut ut glorietur de Vicariatu) patet ex hoc ipſo. Chriſti verbum eſt, *Regnum meum non eſt ex hoc mundo.* Ideo ne hereditatem quidem dividere voluit inter fratres, Luc. 12. 14. Imo Apoſtolis, omnibuſque ipſorum ſucceſſoribus omni poteſtate ſeculari, faſtuque terreno interdixit. Matth. 20. verſ. 25. 26. 27. *Scitis* (inquit) *principes gentium in eas dominari, & magnates authoritate uti in eas. Verum non ita erit inter vos: Sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter. Et quicunque voluerit inter vos primus eſſe, eſto veſter ſervus.*

XXXVII. Miſſo vero Romano Pontifice, proxime deſpiciendum, (ut lineamentis ordinis, nobis ducti, inhæreamus) quænam ſint illæ perſonæ, quibus jus Majeſtatem conferendi competit. Quod, quo diſtincte ediſſerere poſſimus, conſtare ante omnia debet, qua ratione contigerit, initio rerum, per homines, velut cauſas ſecundas, atque ſubſervientes ordinationi & directioni Dei, imperium conſtitui. Eoque principio non placet ſententia Bodini, lib. 1. de Rep. cap. 6. contendentis, omnia imperia primitus à vi incepiſſe. Clamat quidem, more ſibi conſueto, falli tum Ariſtotelem, tum Demoſthenem, tum Tullium, doletque, quod Herodotum ſecuti, principio reges & principes ob ſummam integritatis & juſtitiæ opinionem principatum adeptos fuiſſe ſint arbitrati. Sed Herodoti ſententiam confirmat graviſſimus Xenophon *Pæd.* 1. Confirmant Amphionis Thebæ, Lycurgi Sparta, & tum Athenarum, tum Romulei regni initia, *Thuc. lib.* 1. *Halicar lib.* 1. *Livius lib.* 1. Rationes vero Bodini οὐκ ἄξιαι τοῦ ὀβελοῦ: atque Nimrod, quo ipſe cum multis aliis nititur præcipue, non debet ſimpliciter cenſeri primus imperii Politici, inter homines conſtituti auſpex, ſed potius auſpex imperij maximi, & per vim ac bella varia propagati firmatique, ſede regni conſtituta Babylone. Videtur vero hic

Nimrod,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Nimrod, ſive Nembroth (Joſepho eſt *Nabrodes*) fuiſſe Chuſi filius, Chami nepos: qui ut primus in terra circa annum A. M. C. 1786. cæpit eſſe *Gibbor*, hoc eſt, *Dynaſta*, Gen. 10. 8. ita aliter perſuadere hactenus mihi non poſſum, quin ſit ipſe ille decantatus Belus Aſſyrius, prout recte cenſuit Euſeb. init. Chron. Hieronym. in Comm. Hoſ. 2. nec diſſentiente Auguſtino lib. 16. de C. D. cap. 17. itemque Abydeno apud Euſeb lib. 9. Præp. Euang. filius vero ejuſdem ſit Ninus, Gentilibus quoque ſcriptoribus notus, & tantopere ab illis celebratus. Sic ut primus regum habeatur. Inde Diod. 1. Sicul. in veſtibulo lib. 2. *Ninus primus inter eos, quorum memoriam hiſtoriæ propagarunt*. Et Oroſ. lib. 2. cap. 2. *Omnes hiſtoriæ antiquæ à Nino incipiunt*. At recte de hoc ipſo Nino, quem Bodinus cum Nimrod. confundere videtur, cenſet Juſtinus, ſub initium lib. 1. ſic loquens: *Primus omnium Ninus, rex Aſſyriorum, veterem, & quaſi avitum gentibus morem nova imperij cupiditate mutavit*. Scilicet imperium initio rerum, cum judicio optimo cuique (ſecundum morientis Alexandri M. votum) deferri ſolitum, ſive Ninus, ſive Nimrod illius parens per vim & exercere, & cum injuria proximorum propagare inſtituit. Interea tamen exiſtimandum (quicquid in contrarium exiſtimet Bodinus) primis ſeculis, ad fundandam politicam ſocietatem, mutuorum inter ſe officiorum gratia conveniſſe homines, atque optimo & ſapientiſſimo, derivatis in eum Majeſtatis radiis imperium contuliſſe, atque permiſiſſe (quod & accidit) ut idem imperium ad poſteros illius, (qui primitus ut ὁ ἄριστος electus erat) derivaretur. Recte Polyb. lib. 6. per Interpretem: *Ac primis quidem temporibus*, (inquit) *qui electione populorum regiam poteſtatem ſemel fuerant adepti, in regnis ſuis conſeneſcebant; loca opportuna munientes & mœnibus cingentes, & ditionem quiſque ſuam amplificantes, partim ſecuritatis cauſa, partim ut ſubditis rerum ad victum neceſſariarum uberem copiam exhiberent. Simul dum his animum intendebant, extra calumniam atque invidiam hominum erant*. Ob hanc cauſſam ingenium nonnulli exercebant. *Inclaſis*, ait Plinius

nius præfat. Lib. XIV, *gentium imperiis intra ipſas, ideoque & ingeniis, quadam ſterilitate fortunæ neceſſe erat animi bona exercere. Reges innumeri honore artium colebantur, & in oſtentatione hac proferebant opes, immortalitatem ſibi per illas prorogari arbitrantes.* Et cur aliter? cum reges non eſſent alij, quam qui ſapientes. Senec. Epiſt. XC: *Illo ergo ſeculo, quod aureum perhibetur penes ſapientes fuiſſe regnum Poſidonius indicat.* Et Cicer. lib. III. de legibus: *quod genus imperij primum ad homines juſtiſſimos atque ſapientiſſimos deferebatur.*

XXXVIII. Atque, hoc cum primis naturæ conſentaneum eſſe, priuſquam ulterius pergimus, velut fundamentum amplius præſupponendum. Ut enim verum eſt, quod Philoſophus monet lib. I. Polit. cap. 2. & homo agnoſci debet τῇ φύσει εἶναι ζῶον πολιτικὸν: quatenus per naturam intelligitur *inſtinctus naturalis*: ita rationi atque hiſtoriæ per omnia conſentaneus agnoſci debet diſcurſus ejuſdem Philoſophi, lib. I. Polit. cap. I. ita per Interpretem ſuum loquentis: *Maxime vero* (inquit) eſſe κατὰ φύσιν *naturæ conſentanea vicinitas, veluti quædam domus Colonia &c. Itaque & principio civitates ſub regum imperio erant, & nunc etiam gentes: quia ex iis, qui ſub regno vivebant, convenerunt. Omnis enim domus* βασιλεύεται ὑπὸ τοῦ πρεσβυτάτου ejus, qui ætate antecedit, & regno ſubjecta eſt. E. & Colonia, i.e. familiæ plures, quæ ab una domo fluxerunt. Congruit hoc cum hiſtoria ſacra. Nam amplificata familia, liberi vicina loca occupabant, & manebant ſub directione patris: nec nepotes longius progreſſi, imperium avi reſpuerunt, qui præerat cum ſumma poteſtate, & habebat jus vitæ & necis. Gen. 38. v. 24. Quam facile vero *Magni Patreſſamilias*, cum ſumma poteſtate Reges, fieri poterant? Atque hinc etiam iſti Minuti reguli priſcis temporibus leguntur. Gen. 14. 34. 37. Quod vero facilius eſſet invenire unum bonum & prudentem virum, quam multos, atque viri præ omnibus aliis eminentis imperium, alios velut inferiores ſubmovere videretur, ſecundum hunc ipſum inſtinctum, primi mortales, præeunte natura, atque ſuadente ejuſdem inſtinctu, non quidem ἀλόγῳ, ſed λογικῷ ſive ratio-

rationali, Monarchiam, ceu unius imperium amplexi fuerunt. Atque huc facit ejuſdem Philoſophi diſcurſus loco cit. ſic porro ratiocinans: *Atque* (dicit) *Deos propterea ajunt omnes in Regio imperio eſſe. Quemadmodum enim formas, ita & vitas Deorum ſibi accommodant homines*. Scil. cum totus Mundus omneſque creaturæ unius Dei imperio ſubſint: ita etiam quam maxime humanæ naturæ, ad imaginem Dei creatæ ſecundum multos, qua antiquos, qua recentiores Authores, regnum ordinatum videtur. Inde illud: *Natura commenta eſt Regem*. Senec. *lib.* I. de Clement. c. 9. item *Principio rerum, gentium, nationumque omnium, imperium penes Reges erat*. Juſt. lib. I. cap. I.

XXXIX. Quanquam interim verum eſt illud Senecæ ep. 14. *Interdum populus eſt, quem timere debeamus; interdum ſi ea civitatis diſciplina eſt, ut plurima per Senatum tranſigantur, gratioſi in ea timentur viri; Interdum ſinguli, quibus poteſtas populi, & in populum data eſt*. Nihilominus tamen, hoc haut aliter accipiendum eſt, quam quod, Ariſtocratia & Democratia ſic conveniant naturæ quorundam populorum, ut tamen ab initio, cum primitus imperia ordinarentur, genteſque ſuaſque vires minus adhuc æſtimare ſcirent, natura quaſi duce, conſenſerint in imperium Regium, ſive Monarchicum. Quod, quo ordine acciderit, quum præ omnibus aliis, accurate & perſpicue expoſuerit ſcriptor graviſſimus Polybius, operæ pretium fuerit, ejuſdem locum, licet prolixiorem, hoc loco exhibere. Ita lib. 6. cap. 4. *per interpretem loquitur*: Quum ad conjunctionem maris & fæminæ naturaliter omnes ſtimulentur, ex eoque liberi naſcantur: quoties adultus aliquis eorum qui educati fuerint, gratiam non refert, neque iis ſubvenit à quibus fuerit alitus; ſed è contrario dictis factiſve eos aggreditur lædere: perſpicuum eſt iniquo animo rem ferre, graviterque, offendi eos, qui forte interſunt, & quanta cura atque ærumna parentes liberos curaverint atque aluerint, notum habent. Quoniam enim homo à cæteris animantibus hoc differt, quod mentis & rationis ſit particeps, non eſt profecto ſimile-

veri, ipſos hanc voluntatum diverſitatem inobſervatam præter-miſſuros, quod faciunt aliæ animantes; ſed admiſſum, delictum revocaturos ad animum & præſentem ſtatum damnaturos: ut qui futura proſpicientes, facile ſibi quoque eadem eſſe eventu-ra intelligant. Rurſus autem ſi aliquis ab alio ope n ac præſidium in periculis nactus, auctori ſuæ ſalutis gratiam non rependat, aut fortaſſe etiam ultra factum inferat injuriam: quis dubitat talem hominem apud omnes, qui reſciverint, in offenſa gravi futurum; ſimul alterius vocem indignantibus cunctis; & ne ſimilis injuriæ exemplum ad ſe perveniat, metuentibus. Hinc ſuborta eſt in ſingulorum animis notio quædam officij, & contemplatio vis illius quam habet: in quo juſtitiæ & origo eſt & finis. Similiter rurſus, quando aliquis in periculis acriter pro omnibus propug-nat, idemque contra feras valentiſſimas ſubſiſtit, & earum ſuſtinet impetus; non eſt dubitandum, quin hunc acclamationibus pro-ſequatur fauſtis multitudo, benevolum animum ſimul ſignifi-cans, & patroni honorem ei deferens: eum vero qui contraria huic faciat, vituperationem conſequi & offenſionem omnium: ex quo etiam fit probabile, exiſtere in animis vulgi turpis atque honeſti quandam contemplationem, & ejus diſcriminis quo hæc invicem ſeparantur. atque ita, honeſtum quidem propter uti-litatem æmulari imitarique homines: id vero fugere quod ſit turpe. Quando igitur is qui cæteris præeſt, & viribus plurimum valet, illis, quos diximus laudem nactos, ſemper favet, pro-tegitque eos ſua potentia in colloquiis cum multitudine: jamque ipſe à ſubditis exiſtimari cepit, facultate præditus tribuendi uni-cuique quod ejus meritis conveniat; non amplius vim veriti, ſed animis potius ac voluntate conſentientes, ejus ſe poteſtati ſubjiciunt, & ad conſervandum ipſi imperium cuncti conſpi-rant: ac licet ad ultimam ſenectutem pervenerit, paribus om-nes animis illum defendunt, & adverſus eos, qui ejus domina-tioni inſidias ſtruunt, nullum non certamen ſubeunt. atque hoc pacto, quum à ferocia & robore, ad rationem principatus fue-

rittran-

rit tranſlatus, pro eo quod erat monarcha invidioſo nomine, ſenſim nemine animadvertente, Rex evadit. *Hæc Polybius*. Inde etiam populorum inGręcia antiquiſſimi,ut pluribus Authoritatibus adductis l h.xi. oſtendimus, primitus ſub regio Imperio fuerunt,eodemque faciunt, quæ, ſub finem poſitionis proxime præcedentis, ex ipſa Scriptura adduximus. Atque hodiernæ quoque expeditiones in Africam interiorem, item Indiam Orientalem, & Americam, nec non in inſulas incultas, & toto quaſi orbe diviſas, ubique fere reges invenere. adeo ſcilicet, etiam extra mores, & diſciplinam excluſas gentes, ſolus inſtinctus naturalis ad Monarchiam duxiſſe videtur.

XL. Hoc ipſum tamen Monarchicum imperium, ad quod homo per primum quaſi inſtinctum naturæ ſuæ, invitari videtur, quibuſdam gentibus magis, aliis vero minus allubeſcere, pariter certum eſt. Obſervatione dignum illud Salluſtij in fragmentis lib. 4. Hiſtor. ex Epiſt. Mithrid. *Pauci libertatem, pars magna juſtos Dominos volunt*. item Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 12. *Eſt aliud natura* (intellige inſtinctum naturæ ſecundarium, atque, ut illa, per ratiocinationem deliberativam, diverſimode ordinatur) *obnoxium herili dominatui, & aliud civili*. Inter illos, qui libertatem amant; præ imperio Monarchico abſoluto, & parum quin Deſpotico, cenſendi ſunt plerique Europæi, diviſi hac in parte ab illis, qui vulgo Barbari & vocari & haberi ſolent. Facit huc illud Ariſtotelis lib. 3. Polit. cap. 10. ita per Interpretem loquentis: *Barbari* (inquit) *quia moribus ſervilioribus ſunt, quam Græci, & Aſiani, quam Europæi, herile imperium perferunt, neque hoc ulla ex parte ægrè ferunt*. Vide hujus rei cauſas apud *Hippocratem lib. de aëre, aquis, & locis*. Quod vero multis diſplicuerit, poſtea imperium Monarchicum, imputari debet, (prout verbo cœpimus innuere) ratiocinationi humanæ, adverſus inſtinctum primum naturæ. Unde gentium ingenioſiſſimi, primitus (hiſtoriæ ſi rationem habeamus) Monarchicum Imperium abrogarunt; cæterum minus auſpicato, atque ex uſu ſuæ reip. Extin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

cto Codro Athenienſes Archontes conſtituerunt. Atque ut loquitur Juſtinus lib. 2. cap. 7. *Poſt Codrum nemo Athenis regnavit: quod memoriæ nominis ejus tributum eſt. Adminiſtratio reipublicæ annuis magiſtratibus permiſſa.* Poſtea non tam ex inclinatione naturali, quam tædio Archontωn, Democratiam ſunt exorſi. Lacedæmoniorum Rempublicam non Populus fecit oligarchicam, ſed ipſimet Reges. Lycurgus primum temperamentum interpoſuit; Theopompus Ephoros. De utriſque vero qua Athenienſibus, qua Græcis recte judicat Philoſophus lib. 4. Polit. cap. 11. quod illi, qui mutationém procurarint, *non utilitatem civium, ſed ſuam ſpectarint.* Quod ad Romanos, certum eſt, eos neque ex naturali inclinatione, neque ex deliberato conſilio, ſed potius præ ſumma Tarquiniorum indignatione regium jugum excuſſiſſe, quibus etiam ſub Principibus, nomen Regis magis inviſum fuit, quam ipſa res. Polybius author πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, (ex eo, quod à paucis obſervatum eſt, integras ſententias Seneca Philoſophus ſolitus fuit convertere, ejuſdemque ſtylus comparet in plurimis N. T. locis) loco proxime citato, ſive, ſub initium lib. 6. elegantem introducit diſcurſum de *Revolutione Rerumpublicarum* & Monarchiam *ſine certa conſtitutione natura conſtare dicit*: deinde alias cauſas recenſet, quomodo paulatim uſque ad Democratiam delabatur. Imprimis vero notandum eſt judicium ejuſdem in ſeqq. de Athenienſi, Thebana & Spartana Republ. De Athenienſi dicit, *quod nec augmento competenti, nec ſtabili vigore potita, nec moderatas rerum mutationes ſortita ſit.* Item, *Thebanis non Reip. Status, ſed eorum virorum virtus, qui ipſis præerant, proſperitatis cauſam Thebæis attuliſſe, conſequens è veſtigio fortuna cunctis patefecit. Res enim illorum una cum Epaminondæ & Pelopidis vita & auctæ fuerunt, & confirmatæ, & rurſus dilapſæ. Unde ſane liquet cenſendum, non Rempubl. ſed viros illos in cauſa fuiſſe, quod civitas Thebæorum ſplendorem illum conſecuta fuerit, quo tum temporis exſtitit illuſtris. Pari ratione & de Athenienſium Republ. ſentiendum eſt. Illa ſiquidem ſæpenumero, præſertim per virtutem Themiſtoclis illuſtriſſima facta, confeſtim contrariæ mu-*

tationis

rationis experientiam propter ipſius inæqualitatem accepit.

XLI. Quæ licet ita ſe habeant, atque poſtea ſingulari ratione nobis uſui futura ſint; nihilominus tamen, ut convenientia rationi, admittenda cenſemus tum Ariſtocratica, tum Democratica, imo ex utriſque, certa ratione temperata imperia. Nam, ut ſervitus perſonalis, ſecundum jus naturæ ſecundarium conſtituta, ab omnibus gentibus recepta fuit; ita hæc imperia, quæ præeunte ratione, inter homines coaluerunt, legitima omnium hominum judicio cenſentur, unde & jure merito Majeſtatem iis vindicavimus ſupra Th. XIV. Quo vero diſtincte liqueat, quomodo per populum immediate Majeſtas conferri conſueverit, ſecundum lineamenta ordinis ſupra Th. IX. ducta, ratione cujuſque imperij ſic conſiderabimus populum delegantem, ut ſimul conſideraturi ſimus modum, ſecundum quem diverſimode hæc ipſa Majeſtas delegari conſueverit.

XLII. Incipiendo ergo à Monarchici Imperij Majeſtate, dupliciter illa uni alicui committi ſolet, vel à populo univerſo, vel à delegatis quibuſdam ex illo, quibus populus poteſtatem ad hoc conceſſerat. A populo univerſo, qui Majeſtatem regiam indepti ſunt, bifariam iterum conſiderari debent. Vel enim populum pellexerunt, ut Majeſtatem ſibi conferret, vel populi ſuffragiis invitati, Majeſtatem admiſerunt. Illo modo Cecrops palantes homines in oppida coëgit, teſte Pauſan. in Attic. Romulus aſylo conſtituto, homines ad ſe pellexit. Similia de Amphione Horat. canit, in Arte Poët. hinc

> *Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis*
> *Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda*
> *Ducere quo vellet.*

Ariſt. lib. 3 Pol. c. 10. hoc, ad genus Monarchiæ Heroicæ refert, cum quis Rex factus, *quia diſperſos congregaſſet, aut quia ſolum agrumque præbuiſſet.* Ad hanc ſpeciem etiam referimus *Migrationes Gentium*, cum aliquis audacior & potentior, redundante populi multitudine, laborantis examina colligebat, & dux exibat; deinde, ubi

de, ubi locum accepiſſet habitandi, ſe regem conſtituebat. Æneas exciſâ Troiâ, *collectam exilio pubem, miſerabile vulgus, ſuſcepit*, nec accepit ab illis poteſtatem, ſed ipſemet

---jura domoſque dabat.

Virg. 3. Æneid. verſ. 137. Similiter Saul, poſtquam jam unctus eſſet privatim à Samuele, per hujus manifeſtationem, probari debuit populo. lib. 1. Samuel. cap. 10. v. 20. & ſeqq. ſic enim legitur: *Fecitque Schemuel ut accederent omnes tribus Iſraëlis, & deprehenſa eſt tribus Biniaminis. Deinde quum faceret ut tribus Biniaminis accederet per familias ſuas, deprehenſa eſt familia Matreæ gentis; denique deprehenſus eſt Schaul filius Kiſchi, qui perquirentibus illis non inveniebatur. Quam ob rem quum rogarent iterum Iehovam, an adhuc adventurus huc ille? dixit Iehova, ecce ipſe latitat ad impedimenta. Tum accurrentes aſſumſerunt eum inde qui ſtitit ſe in medio populi: erat autem altior toto populo ab humero ſuo ſurſum verſus. Tum dixit Schemuel toti populo, videtiſne quem elegit Iehova? non eſſe ei ſimilem in toto populo? tunc vociferantes totus populus dixerunt, vivat Rex. Quumque elocutus eſſet Schemuel apud populum jus regni, & deſcripſiſſet in quodam libro, collocavit eum coram Iehova: dimiſitque Schemuel totum populum quemque domum ſuam.* Quod exemplum, ut præ cæteris illuſtre, inſtar trecentorum aliorum cenſeri debet. Alias populus idem agere ſolet per aliquos, in ordine ſuo eminentiores, ad hoc ipſum à ſe conſtitutos & electos. Longe ne abeamus, liquere poteſt in ſola Romana rep. quandiu Regium imperium in illa obtinuit. Romulus æternæ Urbis conditor, atque Imperij auſpex, cum ſibi ipſi inſtar Cecropis regnum arrogaſſet, non refragantibus illis, quos ad infame Aſylum invitaverat; Poſtea remp. ordinare inſtituit, atque ut loquitur Florus lib. 1. cap. 1. *Hunc Rex ſapientiſſimus ſtatum Reipublicæ impoſuit: juventus diviſa per tribus, in equis & armis, ad ſubita belli excubaret: conſilium Reipublicæ penes ſenes eſſet, qui ex auctoritate Patres, ob ætatem Senatus vocabantur.* Sed Romulo mortuo, cum ageretur de ſucceſſore, alia ratione proceſſit Electio. Florus ſic quidem breviter eod. lib. cap. 2. *Succedit Romulo Numa Pompilius; quem Curibus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

ribus Sabinis agentem, ultro petivere, ob inclitam viri religionem. Quod diſtinctius declarat Liv. lib. 1. ſic loquens, de iis, quæ acciderunt ab exceſſu Romuli, tempore Interregni: *Tum Interrex* (inquit) *concione advocata: Quod bonum fauſtum, felixque ſit, Quirites, Regem create; ita Patribus viſum eſt. Patres deinde, ſi dignum qui ſecundus ab Romulo numeretur, creaveritis, auctores fient. Adeo id gratum plebi fuit, ut ne victi beneficio viderentur, id modo ſciſcerent, juberentque, ut Senatus decerneret, qui Romæ regnaret. Inclyta juſtitia religioque ea tempeſtate Numæ Pompilij erat.* &c. Alias, Tarquinius Priſcus, à populo univerſo regnum conſecutus fuiſſe videtur. Sic enim Livius eodem libro de eo: *Iſque primum & petiiſſe ambitioſe regnum, & orationem dicitur habuiſſe ad conciliandos plebis animos compoſitam,* &c. *Hæc eum haud falſa memorantem, ingenti conſenſu populus Romanus regnare juſſit.*

XLIII. Subſiſtere hic aliquantum convenit, atque deſpicere, an etiam Princeps Romanus, Majeſtatem, non quidem per occupationem, ſed legitime á Populo Romano conſecutus fuerit. Leg. 1. ff. de Conſtit. Princ. ſic quidem loquitur J. C. Ulpianus: *Quod principi placuit, legis habet vigorem, utpote cum lege Regia, quæ de imperio ejus lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* Incertum tamen eſt, non minus, quæ ratio fuerit Legis Regiæ (de qua multi non ſine cauſſa dubitant, an unquam quoque lata fuerit) quam etiam, quo modo Populus, per conſenſum, & quaſi ſpontaneam delationem, eidem τὴν παμβασιλείαν detulerit. Dion Caſſius lib. 53. ſic quidem per Interpretem loquitur: *Senatus eum* (Auguſtum ſcil.) *omni legum neceſſitate liberavit: ut quemadmodum à me dictum eſt, revera ſui juris & abſolutæ poteſtatis,* (αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ) *tam reſpectu ſui ipſius, quam legum, omnia quæcunque vellet, quæcunque nollet, non faceret. Hæc quidem ipſi adhuc abſenti decreta ſunt.* At quomodo hæc cum Tacito concilies, qui ita de Auguſto, ſub initium Annalis primi cap. 2. loquitur: *Ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otij pellexit; inſurgere paulatim, munia Senatus, magiſtratuum,*

tuum, legum in ſe trahere, nullo adverſante: cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent. ceteri nobilium, quanto quis ſervitio promptior, opibus & honoribus extollerentur: ac novis ex rebus aucti tuta & præſentia, quam vetera & periculoſa mallent. Quæ ſi quis attendat, non invitus tranſibit in ſententiam Franc. Connani JC. egregij, lib. 1. Comm. Juris Civil. cap. 16. poſt adducta præcedentia Taciti verba *ſic loquentis*: Hinc judicari poteſt, inquit, quam vera & ſancta illa lex regia eſt, qua ſibi Romani principes ſummam in repub. potentiam, etiam, ſi diis placet, juriſconſultis noſtris approbantibus, attributam eſſe jactant. At ſi legem definiverimus, totius populi pactum & conventionem quandam eſſe, in iis autem, quæ vi & coactu fiunt, nullus eſt conſenſus: lex illa regia lex non eſt, neque iſta lege populus Romanus tam conceſſit potentiam ſuam principi, quam ea ſe per vim ſpoliari magno ſuo dolore paſſus eſt. Qui poſt Auguſtum ſecuti ſunt principes, plus aut minus poteſtatis ſibi vendicaverunt, pro ſua bonitate aut æquitate quiſque, nemo tamen non tantum, quantum voluit. Id enim eorum voluntatis fuit, non populi. Sed, dum hoc populi conceſſu volunt videri facere, occaſionem hujus regiæ legis invenerunt, quam tyrannidi ſuæ obtenderent, & ſub ejus obtentu omnia gererent pro libidine animi ſui. *Hæc ille.* Interim tres priores principes inſignes ludos populo exhibuerunt. Ita Julius Cæſar Rex erat, Regnumque tenebat, Cæſarem quanquam ſe, non Regem eſſe reſponderit, Sueton. c. 79. Neque præter veritatem idem quandoque propalam dicebat; nihil eſſe Rempublicam, ſed appellationem modo ſine corpore & ſpecie. Eodem teſte Sueton. c. 77. Succeſſor illius Auguſtus cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepit, & ne Dictatoris aut Regis nomen aſſumeret; attamen cætera ut præemineret Imperia; Tribunitiæ poteſtatis nomen reperit, ut legere eſt apud Tacitum lib. 1. Annal. Ne vero videretur, invito populo imperare, cum apud Dionem loco dicto ſe velle imperium deponere ſimulaſſet, effecit, ut eidem etiam à Senatu

Popu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Populoque confirmaretur. Erat autem τῷ ἔργῳ καὶ πάντων καὶ διὰ παντὸς ὁ Καῖσαρ,unus in omnibus rebus plenum habens imperium, uti ante; ſic & poſtea, diviſis officiis & Provinciis, cum *& pecuniam & milites in ſua haberet poteſtate*:verum,ut ſuſpicionem affectati Regni à ſe amoveret,maluit his artibus Populi Senatuſque conſenſum elicere ſimul autem,ut Dio loquitur,*omne Populi Senatuſque imperium ad Auguſtum redut*. Au uſtum Tiberius excepit, qui quidem teſte Tacito lib. 1. Annal. cap. 15. ſub ſpecie honoris *è campo comitia* ad Patres tranſtulit, populoque ademit: revera tamen, quia facilius erat paucis dominari, eoſque, vel ingentium ſpe præmiorum, vel pænarum acerbitate in officio continere; cum populum univerſum ad Gemonias trahere non potuiſſet. Ipſe itaque Conſules, vel majores Magiſtratus creavit; imo aliquando florentibus *Seiani* rebus, non niſi per ipſum *ad Conſulatum aditus*. Dio l. 58. hanc conſuetudinem Tiberij deſcribit ſequentibus verbis: *Domitius toto anno geſſit magiſtratum,habebat enim in matrimonio Agrippinam: in locum alterius alij aliis ſuffecti*, ὥσπερ τῷ Τιβερίῳ ἔδοξε, *pro arbitrio Tiberij; aliis longius, aliis brevius tempus ejus honoris conſtituentis: idque ipſum aliis contrahentis, aliis prorogantis: Nam etiam ſi quem ad totum annum Conſulem creaſſet, mox eodem depoſito, alium iterumque alium ſubinde ſubrogabat, eo modo Conſulatus fere toto imperij ejus tempore habitus. Eorum vero, qui cæteros magiſtratus peterent electos, quot videbatur in ſenatum miſit, alios commendans (iique omnium ſuffragia auferebant) &c*: Quæ ideo diſtincte referre voluimus, ut liqueret, horum primorum Impp. imperium, toleratum ſolummodo fuiſſe, à populo Senatuque Romano, miſere circumſcripto, neutiquam vero delatum fuiſſe. Poſtea à Tiberio adoptatus Cajus eſt: deinde Claudius à Gregorio milite Imperator ſalutatus, Neronem adoptavit: alij armis Imperium arripuerunt: alij quaſi ſanguinis jure. *Hadrianus Ælium Verum adoptavit, qui primus Cæſaris nomen accepit*, ut Spartianus ſcribit. Cæſaris autem nomen datum eſt iis, qui deſignati erant ad Imperium, ut Imperatoribus Auguſti. Spartiano tamen contradicit Aur. Victor. Nam cum *Tra-*

ianus, inquit, *adſciviſſet Hadrianum ad Imperium: abhinc diverſa Cæſarum, atque Auguſti nomina*, inductumque in Remp. *uti duo ſeu plures ſummæ potentiæ, diſſimiles cognomento, ac poteſtate diſpari eſſent: quanquam alij Plotinæ Traiani conjugis favore, Hadrianum aſſecutum Imperium putent, quæ viri teſtamento hæredem Regni inſtitutum ſimularat.* Atque hoc verius, ut teſtatur Dionis Epitomator Xiphilinus in Hadriano. Ratione ſubſequentium Principum, Senatus aliquandiu eorum conſtitutionem ſibi arrogavit. Quod everſum ab ipſis Imperatoribus, à militibus poſtea ereptum Senatui, aliquando reſtitutum, varium admodum fuit: prout diſtincte docet Flavius Vopiſcus ſic loquens in Aureliano: *Extincto Aureliano, de deligendo Principe exercitus retulit ad Senatum: verum Senatus hanc eandem electionem in exercitum refudit, quòd ſciret non libenter jam milites accipere Imperatores eos, quos Senatus elegiſſet? Denique id tertiò factum eſt, ita ut pene ſex menſes Imperatorem Romanus orbis non haberet. Tandem Tacitus primæ ſententiæ Senator, omnium ſententia Imperator appellatus eſt.* Miſſæ deinde ad *Provincias literæ, in antiquum ſtatum rediiſſe Remp. ac Senatum Principes legere; imò ipſum Senatus Principem, Principem factum.* Primæ interea partes militum fuerunt, ut qui illorum favore gauderet, alios poſſet opprimere. Adeo, ut non inconvenienter dixerit Ælius Spartianus, in vita Peſcennij Nigri: *Tyrannos fecit aliorum victoria.* Ut enim ex hiſtoria Auguſta conſtat, conſpirantibus ut plurimum ducibus, is princeps legitimus habitus, qui aliorum victor extitiſſet. Unde recte Procopius: πᾶσα πρᾶξις πέφυκεν ἀεὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐκ τῆς καταστροφῆς ὀνομάζεσθαι. Atque inde apud Flavium Vopiſcum, notante Caſaubono, *principem facere*, idem eſt atque rebellare: quod miles, novum principem faciendo, contra priorem rebellare conſueverit. Hæc omnia ſi quis diligentius expenderit, non invitus credo in eam deſcendet ſententiam, *Legem Regiam*, quam Alexander Severus leg. 3. Cod. de Teſt. *legem imperij* vocat, fuiſſe ſolummodo σχῆμα βασιλικὸν; nec unquam a S. P. Q. R. latam fuiſſe, ſed Principes, quo viderentur legitimi Domini, eandem

dem

dem prætexuiſſe, æque, atque hodie Romani Pontifices hierarchiæ ſuæ Donationem Conſtantini Magni prætexere ſolent. Nec me movet, quod tabula ænea, quæ hodie adhuc viſitur in Baſilica Lateranenſi, capita aliquot, exhibita quoque in Corpore Inſcript. Gruteri pag. 242. legis Regiæ, renovatæ quaſi ſub Veſpaſiano, exhibere credatur. Quanquam enim ea, velut ſingulare antiquitatis monumentum Antonius Auguſtinus in lib. de LL. primus explicare inſtituit; nihilominus tamen viri doctiſſimi, nec ſine ratione, tabulæ hujus fidem, velut ſubleſtam, ſuſpectant. Nec tamen me moverit, quod aliquoties in ea fiat mentio Tiberij Julij, qui videatur alius eſſe à Tiberio Principe. Siquidem, cum certum ſit Auguſtum in numis Divi F. in Faſtis Conſularibus D. Julij F. nuncupatum fuiſſe; pariter certum eſt, in iiſdem Faſtis Tiberium Julium, D. Auguſti filium D. Julij nepotem inſcribi: TI. JULIUS. DIVI AUGUSTI. F. DIVI. JULI. N. CÆSAR. AUG. Unde conſtat Tiberium Julium, D. Auguſti filium, eſſe re vera Tiberium, tertium populi Rom. Imperatorem: unde hactenus hoc nomine, tabulam jam dictam haut putarim notari poſſe. Interim alia multa in ea, cenſoria virgula digna occurrunt, ab aliis ſæpius obſervata, quæ hoc tempore exhibere non lubet. Simul quivis videt, quo jure primi Impp. Romani, ſupremam Imperij Majeſtatem occupaverint.

XLIV. Accedo ad ſecundam quaſi Imperij Romani periodum, cujus auſpex fuit Carolus Magnus, quem conſtat Romæ, in ipſis feriis Natalitiis anno ɪↄcccc. proclamatum fuiſſe Cæſarem Auguſtum. Quo jure vero Imperium & Cæſaream Majeſtatem conſecutus fuerit, ambigitur. Hildebrandinæ factionis ſcriptores hoc in ſolidum Pontifici Leoni tribuunt: alij vero Scriptores nihil aliud ei, præter coronationis miniſterium, deferunt, quibus nos accedimus. Signanter Lambertus Schaffnaburgenſis: *Carolus à Romanis Auguſtus eſt appellatus*. Idem perhibent Marianus, Sigebertus, Gotfridus Viterbienſis, auctor fragmenti quod Alberto Argentinenſi præfigitur, Albericus, Blondus, Ae-

neas Silvius, Nicolaus de Cuſa lib. 3. concordantiæ catholicæ, cap. 3. Platina, &c. Perfamiliariter vero totam rem Nicolaus Gillius ex actis publicis, explicavit in Annalibus Francorum: cujus narrationem hic ad verbum ſum redditurus: *Anno gratiæ 800. interea dum rex Carolus magna devotione profectus Romam, ubi Papa & Romani honorifice eum exceperunt, ubi ſubſiſteret, Papa & Romani, qui nolebant amplius ferre, ut ſubeſſent fœminæ (id eſt, Irenæ illi, quæ Imperatorem filium ſuum & nepotem ſuum curaverat excæcari, ex quo erant mortui, & ipſa ſola tenebat regebatque imperium) Carolum magnum rogaverunt, ut dominium Rom. imperij vellet accipere, adeoque inſtiterunt ut tandem conſenſerit. Itaque die nativitatis Domini noſtri fuit Carolus magnus, à Leone Imperator Rom. ſacratus & coronatus,* &c: Quibus adjiciendus omnino eſt, Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis, cui ideo præ aliis fides deferenda eſt, quoniam ipſimet Baronio, maximo Hildebrandinarum partium adſertori, unius illius verbis placuit hiſtoriam hanc recenſere: *Poſt hæc* (inquit) *adveniente die natali Domini noſtri Ieſu Chriſti, in jam dicta baſilica beati Petri Apoſtoli, omnes iterum congregati ſunt, & tunc venerabilis almificus Pontifex manibus ſuis propriis precioſiſſima corona coronavit eum. Tunc univerſi fideles Romani, videntes tantam defenſionem & delectionem, quam erga Sanctam Romanam Eccleſiam & ejus vicarium habuit, unanimiter altiſona voce, Dei nutu atque Beati Petri Clavigeri regni cælorum, exclamaverunt: Carolo piiſſimo Auguſto à Deo coronato, magno pacifico Imperatori vita & victoria. Ante ſacram confeſſionem beati Petri Apoſtoli, plures ſanctos invocantis ter dictum eſt; & ab omnibus conſtitutus eſt Imperator Romanorum.* Hactenus Anaſtaſius. Illo ergo teſte, ſcimus Carolum eſſe *conſtitutum Romanorum Imperatorem ab omnibus*, in Baſilica tum præſentibus. Hi autem erant, præter Pontificem ipſum, ac plurimos Epiſcopos Clericoſque, *univerſi Romani.*

XLV. Deveniendo ad Impp. Germanicos, illi jam uſque ab Othone primo, imperium, & cum eo majeſtatem conſecuti fuerunt per Germaniæ principes, repræſentantes totum populum Germaniæ, atque, ſi forte à Papa Romano quidam eorum

inuncti

inuncti & corononati fuerint, ex inde tamen neutiquam probari poteſt Papæ Majoritas; (jam antea quoque negata) quod cum præ aliis egregie oſtenderit Nicolaus Cuſanus Cardinalis lib. 3. Concord. Cathol. cap. 4. non pigebit locum, licet aliquanto prolixiorem hic exhibere. *Ita ergo ille*: Unctio (*inquit*) & coronatio, quas etiam legimus aliis Regibus tribui, nec arguunt in Papa majoritatem, ſupra ipſam electionem confirmandam vel infirmandam, vel ſupra ipſum etiam Imperium, quo ad temporalia: ſicut nec unctio quæ fit Regi Franciæ Remis, aut coronatio ipſiuſmet Imperatoris per Archiepiſcopum Colonienſem Aquiſgrani. Et hoc ex eo, quia legitur Othonem primum ab Archiepiſcopo Moguntinenſi Hildeberto, Aquiſgrani in Regem Alemanniæ & Francorum coronatum, de conſenſu & voluntate principum & totius populi Alemanniæ, Saxoniæ & Franciæ. Sic etiam legitur ab Hergero Archiepiſcopo Moguntinenſi, unctionem & diadema, mortuo Conrado Rege, Henrico primo de communi omnium conſenſu oblatum, qui recepto diademate noluit injungi, quia dixit ſe indignum. Ex quibus patet, unctionem & diadema nihil præſtare Imperiali poteſtati. Inſignia enim illa, quaſi ad Majeſtatem ſacram, quæ Imperio ineſt, oſtendendam, materiali viſibili ſubjecto Imperij, cum cæremoniis impenduntur, ut ſint ſigna prædicantia admirandam illam potentiam: ſicut ſimilia in Romano Pontifice videmus fieri tantum. Ante omnia talia, Papa eſt poſt electionem. Nomen etiam, quod in coronatione per Papam Imperatori impenditur, mutatur, ut prius Rex, & poſtea Imperator vocetur: nihil minus potentiam imperandi prius in eo fuiſſe arguit, ut notiſſimum eſt. Fuit itaque in veritate Imperator, dum in libera poteſtate habuit imperare, etiamſi vulgo ita non nominaretur: ſed ut ad ipſam coronationem anhelet Rex, ſervatur huic ſolennitati hoc nomen. *Hæc ille*. Quandiu vero imperium fuit penes Germanos Imperatores, perpetuo (licet, de facto multoties aliud Papæ Romani moliti fuerint) Majeſtatem ab

univer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

univerſo populo Alemanico, per Principes, qui eum repræſentabant, indepti fuerunt. Inde legas apud Albertum Stadenſem: *Ex prætaxatione Principum & conſenſu, eligunt Trevirenſis, Moguntinus, & Colonienſis*, &c. Atque, quod aliquis miretur, ipſe Innocentius IV. Papa, in Epiſtola, quam Beka exhibet in Otthone III. Præſule Ultrajectino, ſic ſcribit de Wilhelmo II. Hollandiæ Comite, Electo Romanorum Rege: *Clariſſimus in Chriſto filius noſter, Wilhelmus Comes Hollandiæ, communi voto principum, qui in electione Cæſaris jus habere noſcuntur, in Romanum Regem cæteris principibus applaudentibus eſt electus*, &c. Adeo ut nihil hic deferendum ſit Papæ, niſi quod per tyrannidem ſibi ipſi ſtulte arrogavit. Quamvis non ſit diffitendum, jus hoc, ratione Principum eligentium, ex parte confuſe fuiſſe uſurpatum, uſque dum ab Otthone III. circa annum à Chriſto Nato 996. VII. Electores (ſic plerique Germanorum Politici exiſtimant) ordinarentur: omnibus difficultatibus per auream Bullam Carolo IV. Imperatore anno 1356. occurrente. Non exiſtimandum vero, hoc jus Electorum, (qui per pacem Monaſterienſem jam ſunt VIII. viri) repræſentantium Principes & totum populum Germanicum, habere ullam dependentiam à Papa; quaſi hic Mediantibus Electoribus, Imperatorem Romano-Germanicum conſtituat. Aliud ſemper exiſtimarunt, qui à Papa effaſcinati non fuerunt. Duos adduxiſſe ſuffecerit. Ex quibus jam alter, modo adductus, quia & Cardinalis fuit, majorem fidem meretur. Ita ergo Cuſanus loco dicto: *Non eſt concedendum, Electores à Romano Pontifice poteſtatem eligendi habere: ſic, quod niſi ipſe conſentiret, non haberent, aut ſi vellet, ab his tollere poſſet. Quis rogo, dedit populo Romano poteſtatem eligendi Imperatorem, niſi ipſum jus Divinum & naturale.* Similiter Lupoldus de Babenberg de Zelo vet. Princip. Germaniæ cap. 7. *Ius* (inquit) *& poteſtatem eligendi Regem Romanorum, ab Eccleſia Romana ad certos Principes Germaniæ perveniſſe, nec in Hiſtoriis ſeu Chronicis noſtris, geſta regum ceu Imperatorum continentibus, reperitur expreſſum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

XLVI. Tantum de Imp. Romano: quod ſi luberet ad alias in Europa regiones diverti, ubi Monarchicum imperium receptum eſt, pariter oſtendi poſſet, Reges, qui ſive per ſucceſſionem, ſive per electionem regnum adipiſcuntur; ſimul, excluſo Papa, Majeſtatis conſortes reddi, ſive per populum immediate, ſive per principes populum repræſentantes. Unum Galliarum regnum, atque in eo Pipinum conſiderare convenit. Hic ſiquidem ex Majore domus anno 750. à C. N. factus eſt Rex Franciæ, Childerico, tanquam regno inutili in Monaſterium detruſo. Contendunt quidem Papanæ Hierarchiæ hyperaſpiſtæ, eum regnum conſecutum fuiſſe à Zacharia Pontifice, quod illius qualiſcunque authoritas & approbatio intervenerit. At, diſtingui debet. Eſt enim ſanctio in hac cauſa duplex, ut teſtantur Hiſtorici: una efficiens, & probans altera. Efficiens ſanctio fuit procerum regni, à quibus Pipinus ejecto Childerico Rex conſtitutus eſt: probans fuit Pontificis Romani, cujus deſiderata eſt in hac re auctoritas approbans, ut plauſibilior atque ſpecioſior, apud omnes defectio videretur, quaſi religioſi teſtimonij calculo. Audiatur modo Tilius, qui ſic in Chronico ſuo Gallico ad verbum: *Pipinus fuit conſenſu nobilium, cum favore & aſſenſu Papæ Romani, unctus & conſecratus Rex primus ſuæ ſtirpis.* Innuo ipſe quoque Aimoinus, Hiſtoricus quanti vis pretij, audiatur. Qui ita ad dictum annum: *Richardus*, inquit, *Wirtziburgenſis Epiſcopus & Fulradus Capellanus miſſi ſunt Romam ad Zachariam Papam, ut conſulerent Pontificem, de cauſa Regum qui in illo tempore fuerunt in Francia; qui nomen tantum Regis, ſed nullam poteſtatem regiam habebant. Per quos prædictus Pontifex mandavit, melius eſſe illum vocari Regem, apud quem ſumma poteſtas conſiſteret; dataque auctoritate ſua juſſit Pipinum regem inſtitui. Hoc anno ſecundum Rom. Pontificis ſanctionem, Pipinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris, unctus ſacra unctione manu ſanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiſcopi, & martyris, & more Francorum elevatus in ſolium regni Sueſſionis civitate.* Legatos certe Aimoinus narrat à proceribus regni ad Papam miſſos; & cum auctoritate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Papæ, id eſt, approbatione, conſenſu & ratificatione (ut vocant) revertiſſe: Pipinum itaque, & à Proceribus regem Francorum appellatum, & à Bonifacio unctum, & ſolenni Francorum more elevatum, nimirum factioſa quidem, ſed publica auctoritate regni. Sed ut res fiat evidentior, Trithemium audiamus libro 1. annalium ſuorum dicentem: *Anno dominicæ nativitatis* DCCXLIX. (ſic enim ille ſupputat) *indictione* 2. *Childericus Rex Francorum, tanquam inutilis regno de unanimi omnium procerum conſenſu, Zacharia quoque Papa Romano, præſtante conſilium, à regno dejicitur, & in monachum tonſuratur anno regni ſui nono. Voluntate igitur omnium communi, Pipinus major domus in Regem electus fuit, &c.* Non neceſſum vero eſt, ulterius hoc, vel in ipſo regno Galliarum extendamus: in quo Parlamenta, ut conſideranda eſſent, Regij quaſi ſceptri principia tum conſtitutiva tum conſervativa; ita certum eſt, jura Parlamentorum, æque vivida omni tempore non fuiſſe, atque per temporum occaſionem, ſimulq; regnantium diverſas artes, modo plus, modo minus valuiſſe. Suffecerit hoc loco obſervaſſe, tum in Gallia, tum in quocunque imperio Monarchico, bene conſtituto, Monarchicam poteſtatem in unum aliquem derivari, aut à populo univerſo, aut ab iis, qui populum repræſentant. Quod, licet ſæpe æque non liqueat, in regno ſucceſſivo, quod ſuccedaneus anteceſſori ſuo, à qua lampada accepit, nullo refragante videatur ſuccedere; ſi tamen attendatur confirmatio ſuccedentis, qui primo ſe ſolet prodere in proclamatione, deinde ſolemnius magis agnoſci in coronatione, manifeſtum per omnia erit, in ipſo regno, quod maxime & liberrime ſucceſſivum putatur, majeſtatem regiam conferri per ipſum populum, partim mediate, partim immediate. Atque populus, tum immediate quoque, cenſetur conferre majeſtatem regiam ſeu monarchicam, quando proclamatione inſtituta circa ſucceſſorem defuncti regis, eam voto ſuo, ſeu ἐυφημισμῷ approbat, proclamationi ſubjiciendo vulgatum illud: *vivat Rex*, aut ſimile quid.

XLVII. Poſt

XLVII. Poſt Monarchicum imperium, conſiderandum eſt Ariſtocraticum, & Democraticum; in illo, ut regimen publicorum negotiorum una cum Majeſtate, iis committitur, qui optimi cenſentur, ſic qui velut optimi & imperio & majeſtate inſigniuntur utrumque conſequuntur á populo, qui in imperio Ariſtocratico propius quam in ipſo Monarchico imperio delegandæ Majeſtati ſe applicare ſolet. In imperio populari, ut populus omnia poteſt, ſic quoſdam tamen conſtituit quibus temporariam quaſi Majeſtatem deferat. Quod ut diſtinčte liqueat, conſiderabimus tria quam celebria imperia, in quibus optimatum regimen ſe præ cæteris exeruit: nempe Lacedæmonium, Athenienſe, & Romanum. Atque incipiendo ab Imperio Lacedæmonio, quod mixtum eſſe conſtat ex tribus quaſi Imperij modis, ſic tamen ut Ariſtocratia primas obtinuerit; in eo virtutis, quod ad Magiſtratuum conſtitutionem præcipua ratio fuit habita: neque enim aliter Ariſtocratica Reſpub. conſiſtere poſſet, ſed exigno momento eſſet nutatura: Ita judicavit de hac Repub. Plato lib. 3. de Legibus ubi hæc ejus verba: *Æquum eſt, ô Lacedæmonij, veſtræ hoc tribui civitati, quod ex divitiis vel paupertate, itemque ex regio vel privato ſtatu, nullum ſingularem honorem aut* (τροφὴν) *præmium conferatis.* Nam τροφὴν hic pro generali præmij nomine poni exiſtimo. Cujus ſententiæ fuit & Xenophon libro de Repub. Lacædemoniorum, ubi de Legiſlatore eorum ita loquitur: *Legiſlator etiam ſuis irrefragabilem neceſſitatem, omnem civilem virtutem exercendi attulit: Nam iis qui juſſa Legum exequerentur univerſis, Rempub. propriam eſſe volunt, neque rationem habuit ullius imbecillitatis corporum vel facultatum.* Ariſtocratia vero præ cæteris exhibebatur in Senatu. Dicebatur vero Senatus peculiariter Lacedæmone, γερουσία, nomine Græcis ſcriptoribus fere omnibus hac uſurpatione celebrato. Teſtis luculentiſſimus præ aliis Pauſanias in Laconicis: ἡ μὲν δὴ, inquit, γερουσία συνέδριον λακεδαιμονίοις κυριώτατον τῆς πολιτείας, Id eſt, *Geruſia Lacedæmoniis eſt conſeſſus, penes quem præcipua Reipub. auctoritas, vel eſt ſupremus Reipub. conſeſſus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Apud Heſychium tamen γερῶα etiam dicitur σύστημα γερόντων; γέροντες autem ipſi Senatores. Cauſſa in aperto eſt. Quod vero ad Electionem horum Senatorum: hi duplices cenſebantur; vel enim Magiſtratu antea functi erant, vel non. Illis ob præſtitam operam in conſtituenda Repub. id honoris tributum, in reliquis autem poſtea legendis & voluntas accedere debuit, & legitima ætas, præterque ea, vita honeſte acta. Voluntas uſque adeo aperienda erat, ut neceſſe eſſet hunc honorem palam petere, & poſtea populo probandi vel repudiandi ſui poteſtatem facere. Nam qui hujus honoris candidatus erat, per concionem tranſibat, atque ita clamore multitudinis, an placeret, vel non, indicabatur. Ex quo manifeſtum, eos, qui Lacedæmone habeantur οἱ ἄριστοι, Majeſtatem, qua coruſcabant non niſi à populo indeptos fuiſſe. Improbat Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 9. locus quia egregius eſt, integrum exhibere ex re fuerit. Ita vero Philoſophus per interpretem *loquitur*: Præterea dilectus, quem faciunt Senatorum, per judicationem quandam, puerilis eſt. Et ipſum petere qui hoc honore dignus habendus eſt. Non recte habet. Nam & volentem & nolentem, modo dignus ſit magiſtratu, ad magiſtratum admovere oportet. Nunc autem idem quod in reliquis Reipub. partibus videtur legiſlator facere. Reddens enim cupidos honoris cives, ipſis utitur ad delectum Senatorum. Nullus enim magiſtratum peteret, qui non honoris cupidus eſſet. Et tamen maxima pars injuſtorum factorum, quæ ſponte faciunt, ferme proficiſcitur ex ambitione & avaritia. *Hæc ille.*

XLVIII. Nec aliud Athenis, quandiu res earum floruerunt, receptum fuit. Ut enim, poſt reges, imperium commiſſum fuit Archontibus, velut ſupremis reip. moderatoribus, iiſdem adjuncto Senatu Areopagitico; ita Solon abrogata τῶν ἀρχόντων poteſtate, Areopagiticos Patres, qui jam ante illum notabantur, tali ratione ordinavit, ut ſupremæ partes manerent populi, cui jus erat eoſdem & eligere & deſtituere. Quod cum præ aliis Philoſophus noſter docuerit, (cui res Atticæ non

potue-

potuerunt non exploratiſſimæ eſſe, quod Athenis diu converſatus fuerit) lib. 2. Polit. cap. 10. tex. 3. non poſſumus non locum, prolixiorem licet, hic adducere. Ita vero per Interpretem *loquitur*: Solonem autem alij quidem bonum fuiſſe legum ſcriptorem putant, ut qui & Oligarchiam diſſolverit nimis intemperantem, & populum ſervitute liberarit, & Democratiam conſtituerit patriam, pulcre temperata Republ. Nam Areopagiticum quidem Senatum eſſe Oligarchicum, magiſtratus vero ſuffragiis deſignari eſſe Ariſtocraticum, judicia denique eſſe popularia. Videtur autem Solon illa quidem, etiam ante recepta, non ſuſtuliſſe, Senatus & Magiſtratuum deſignationem; populum vero ex omnibus conſtituendo, judicia inſtituiſſe. Quare & illum quidam accuſant, quod alterum ſuſtulerit, poſtquam judiciis ſorte deligendis rerum omnium poteſtatem fecit. Nam ex quo hoc invaluit, populo tanquam tyranno blandientes, Rempubl. in eam, quæ nunc eſt, Democratiam converterunt. Atque Senatum quidem Areopagiticum diminuit Ephialtes & Pericles: judicia vero mercenaria fecit Pericles. Eoque modo, quique fere Demagogi uſi, auxerunt & produxerunt in eam, qua nunc utuntur, Democratiam. Videtur autem non ex conſilio & mente Solonis, ſed caſu quodam id accidiſſe. Nam Medicis temporibus populus imperij navalis auctor magnos ſumpſit ſpiritus, & Demagogos nactus eſt improbos, bonis adverſantibus. Siquidem Solon certe populo videtur tribuiſſe poteſtatem maxime neceſſariam, *magiſtratus & deſignandi & rationes ab iis repoſcendi*. Nam ſi ne hujus quidem rei Dominus ſit populus, ſervus ſit & hoſtis neceſſe eſt. Magiſtratus autem ex honeſtis & locupletibus conſtituit omnes, ex Pentacoſiomedimnis, & Zeugitis, & tertio cenſu, quem vocat Equitum: nam quarto opificum ſeu mercenariorum nullus patebat magiſtratus. *Hæc Ariſtoteles.* Ex quibus initio liquet quod Reſpubl. Athenienſium temperata fuerit & mixta ex omnibus Reipub. generibus, Oligarchica in ſenatu Areopagitico, in quem cooptari ſolent non omnes, neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

optimi quique, ſed qui certis prius functi eſſent magiſtratibus; *teſte Polluce lib. 8. & Plut. in Pericle*: Ariſtocratica vero in modo & ratione deſignandorum magiſttatuum, ſuffragiis, non ſorte: quarum rationum hæc quidem eſt Democratica, illa vero Ariſtocratica. Democratica denique in judiciis, quorum participes fecerit omnes cives, etiam de infima plebe. *Secundo* hinc patet quoque, Majeſtatem ex inſtituto Solonis fuiſſe penes populum, eamque per illum quibuſdam delegatam fuiſſe, cum & populus Magiſtratus conſtitueret, & ab iis rationem exigeret. Quod poſterius, quam neceſſarium ſit in repub. bene conſtituta, docet Columella, qui libro 12. de re ruſtica, cap. 3. in hanc ſententiam ſcribit. *Quod etiam in bene moratis civitatibus ſemper eſt obſervatum, quarum primoribus atque optimatibus non ſatis juſtum eſt bonas leges habere, niſi cuſtodes earum diligentiſſimos cives creaſſent, quos Græci νομοφύλακας appellant. Horum erat officium, eos qui legibus parerent, laudibus proſequi: eos autem, qui non parerent, pœna mulctare.*

XLIX. Proxime deſpiciendum de Imperio Romano, cujus regimen licet ſupra in tranſitu conſideraverimus, ex re tamen eſt hic exhibere Lucium Ampelium, veterem ſcriptorem editum à τῷ πάνυ Salmaſio cum Floro, qui ita loquitur in libro Memoriali: *Populus Romanus primum ſub regibus fuit. Deinde, poſt ſuperbiam Tarquinij, & inlatum Lucretiæ ſtuprum, expulſis regibus, tutelam ſui conſulibus tribuniſque commiſit. Deinde tribunitiis ſeditionibus agitatus, abdicatis omnibus magiſtratibus, Decemviros, legum ferendarum & Reipub. conſtituendæ cauſa, paravit. Horum quoque dominationem & libidinem deteſtatus, rurſus ad conſules rediit. Donec, exortis bellis civilibus inter Cæſarem & Pompeium, & oppreſſa per vim libertate, ſub unius Cæſaris poteſtatem redacta ſunt omnia. Ex eo perpetua Cæſarum dictatura dominatur.* Quamdiu autem reſpublica fuit libera, populus quoque jure Comitiorum gaviſus eſt, quorum quæ fuerit ratio, ſequentibus verbis docet idem Ampelius: *Comitia dicuntur à comitatu & frequentia, quod Patres & Claſſes ad ſuffragia vocantur, creandorum magiſtratuum vel ſacerdotum cauſa. Comitiorum autem*

triplex ratio eſt. Hæc Curiata, hæc tributa, hæc centuriata dicuntur, quia hæc per curias & per tribus & per centurias explicantur. Si tranſlatitium ſit, & ſolitum, de quo populus, curiatis tranſigitur. Si amplius, tributis. Si in ſummo diſcrimine eſt, tum miles ad ſuffragia vocatur, & Comitia centuriata dicuntur. Atque ut in Comitiis (utut libera etiamnum Republ. per ambitum, quod venalis eſſet campus, corruptis) Rom. populus ſuos Magiſtratus & conſtituere & deſtituere poterat; ita hoc jure nunquam paſſus eſt ſe exui, licet per vim majorem à dominante Cæſare, (cui Octavius Auguſtus & Tiberius, Siſyphi alteri atque doli machinarores maximi, ſucceſſerunt) eodem privati fuerint. Adeo, ut non immerito quoque Juvenalis, qui ſub Calvo Nerone, ſeu Domitiano vixit, populo circumſcripto Sat. 10. hiſce verſibus, ſatyrico aceto quam probe fermentatis, inſultet:

---Iampridem, ex quo ſuffragia nulli
Vendimus, effudit curas, nam qui dabat olim
Imperium, faſces, legiones, omnia, nunc ſe
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem, & Circenſes.

Convenienter Vetus Scholiaſtes ad hæc verba: *Ex quo ſuffragia nulli vendimus*; ſic commentatur: *Id eſt, ex quo non eſt imperium populi, quod per ſuffragia diverſis vendat. Hoc poſt Auguſti monarchiam, ex quo imperatores eſſe cæperunt.* Ex quibus manifeſto patet, Romæ, quamdiu viguit libertas, & agnitum fuit Imperium Ariſtocratico-Democraticum penes populum ſic fuiſſe Majeſtatem, ut eandem quoque, uſque ad ſupremum quaſi gradum, ſupremis Magiſtratibus, ſive Conſulibus, committere & potuerit, & ſolitus fuerit. Ita quippe Ampelius l. d. *Nam* (inquit) *& regiam poteſtatem Conſules habent, & plebs habet ſuffragiorum poteſtatem.*

L. Porro ex lege Methodi jam antea Th. IX. delineatæ, deſpicere debemus, qua ratione, & ſecundum quem modum Majeſtas delegari conſueverit. Quod quo rite atque ordine explicare poſſimus, progredi iterum debemus ſecundum tres Imperij

ſtatus,

ſtatus, ſeu triplicem remp. de qua non abs re fuerit hic audiviſſe eundem Ampelium, ita loquentem ſub finem libri Memorialis: *Rerum publ. tria genera ſunt. Regium, optimatum, populare. Aut enim ſub regum ſunt poteſtate; ut Seleucia Parthorum. Aut Senatus; ut Maſſilia Gallorum. Aut ſe ipſi regunt; ut Athenienſes ſolebant. Eſt & quartum genus quod Romani commenti ſunt; ut ex his tribus unum efficerent.*

LI. Quod ad ſtatum Monarchicum, præeunte Ariſtotele quem ſupra Theſi XL. adduximus, ex lib. 3. Polit. cap. 10. ſive, ſecundum alios, cap. 14. ante omnia diſtinguere convenit inter imperium, quod inter Barbaros vel receptum eſt, vel ubi receptum eſt, Barbaricum ſolet cenſeri; & inter imperium, quod inter politiores gentes viget. Illud cum parum quin ſit deſpoticum, non minus, eſt aſperum, quam etiam imperantibus, ceu regibus exercitium Majeſtatis, abſque ulla limitatione, deferre ſolet: uſque adeo, ut populus, hujus ingenij, quando regem ſemel agnovit, ab eo (ſi non & illius poſteris) haut ſecus, atque à Numine dependere, debere exiſtimat. Atque hinc Ariſtoteles ſic per interpretem loquitur in veſtibulo librorum Politicorum: *Quam ob rem ajunt Poëtæ, Græcos Barbaris dominari oportere: quod idem ſit natura, Barbarus & ſervus*: reſpicit autem ad illud Euripidis in Iphigenia Aulidenſe:

Βαρβάρων δ᾽ ἕλληνας εἰκὸς
Ἄρχειν ἀλλ᾽ οὐ βαρβάρους
Ἑλλήνων: τὸ μὲν γὰρ δοῦλοι, οἱ δὲ ἐλεύθεροι.
Convenit Græcos barbaris
Imperare, non barbaros
Græcis illi enim ſervi, hi liberi.

Eam quoque ob cauſſam Philoſophus Alexandro M. diſcipulo ſuo, meditanti orbis imperium, conſuluit, ut Græcis tanquam Princeps, Barbaris vero ut dominus imperaret. Conſilium hoc quibuſdam diſplicuiſſe innuit Plutarchus lib. I. de Fortuna Alexandri ſic per interpretem *loquens*: Neque enim ſecutus eſt Ariſtotelis conſilium, qui eum jubebat Græcis ſe tanquam principem,

barbaris

barbaris ut dominum præbere: & illorum quidem, ut amicorum & domeſticorum curam gerere, his tanquam brutis aut ſtirpibus uti: quod ſi feciſſet, regnum ſuum bellis, exiliis, ſeditionibus, ſimultatibuſque impleviſſet. Sed ita ſtatuens, divinitus ſe communem omnium nationum moderatorem atque arbitrum eſſe miſſum, quos verbis non poterat, armis ad communitatem adigens, omnes undique gentes in unum corpus conduxit, tanquam in amicitiæ cratera commiſcens vitas, mores, nuptias, victus rationes: mandavitque, ut univerſi mundum pro patria agnoſcerent, caſtra pro arce & præſidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis. *Hæc ille.* Quicquid vero jam olim aliis, & inter illos Plutarcho quoque, ſcriptori alias acri, viſum fuerit; non fallebatur Ariſtoteles, quum hoc conſilium diſciplinæ ſuæ alumno ſuggereret Nam, re vera, Barbari libertatis, atque imperij liberalioris impatientes ſunt. Exemplum nobile in Vonone exhibet Tacitus lib. 2. Annal. cap. 2. qui cum ſecundum civilem elegantiam, quam Romæ didicerat, regere vellet, regnum & imperium perdidit. Verba ſcriptoris acris hæc ſunt: *Irridebantur & Græci comites, ac viliſſima utenſilium annulo clauſa, ſed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia; & quia ipſorum majoribus aliena, perinde odium pravis & honeſtis. Igitur Artabanus Arſacidarum è ſanguine, apud Dahas adultus excitur; primoque congreſſu fuſus, reparat vires, regnoque potitur.* Nec tamen, Ariſtoteles pariter, omnes illos Barbaris accenſet, inter quos regnum ſucceſſivum fuerit. Exagitat quidem Bodinus lib 6. de Rep. cap. 5. his verbis Ariſtotelem; *Ariſtoteles Barbaros vocat, apud quos ſucceſſorio iure regna deferunt: Barbari ergo erunt Aſſyrij, Medi, Perſæ, Ægyptij, Aſiatici, Parthi, Armenij, Turcæ, Indi, Afri, Tartari, Arabes, Moſchovitæ, Angli, Scoti, Celtæ, Franci, Hiſpani, Peruſini, Numidæ, Æthiopes, quod ſi omnes hæ nationes Barbaræ, ubi erit humanitati locus?* At, quid eſt reprehendendi cacoëthes, ſi hoc non eſt? Ariſtoteles loco jam ſupra citato, ſive lib. 3. Polit. cap. 14. dicit; *Regum à ſtirpe quærendorum morem uſurpaſſe*

Barbaros. Ergo infert Bodinus: Quicunque uſurpant ſunt Barbari. Non valet illatio: Improbi vident oculis. Ergo quicunque vident oculis, ſunt improbi? Non ſequitur. Deinde, debebat Bodinus recordari: Barbaros veteribus non ſolum eſſe inhumanos, ſed qui non eſſent Græci. Superbuli enim iſti Græculi, omnes alias gentes barbaras appellabant, ut à ſe diſcernerent, & veluti ſegregarent. Verum, ne à lineis aberremus, notari volumus, quod modo jam annotavimus, apud gentes non modo minus civiles, ſive barbaricas; verum etiam apud eas, quæ politiſſimæ ſunt, & jam olim tales habitæ fuerunt (licet à Græcis barbaræ cenſerentur) cæterum extra Europam viventes, uſque ad ſervitium, Majeſtatis exercitium committi conſueviſſe. In novo non modo orbe Americano, verum in Africa quoque, quot non gentes Barbaricæ, adhuc hodie degunt? Ut vero ex recentioribus, & navigationibus ad illas regiones, & peregrinationibus per eaſdem gentes patet; omnes regibus, imo ſæpe regulis duntaxat, uſque ad extremam ſui demiſſionem, Majeſtatis exercitium aut deferunt, aut, ſi non deferant, ab iis uſurpari patiuntur. Perſæ, quos Bodinus non vult haberi Barbaros, non modo hodie, ſed jam olim quoque, non niſi mancipia ſuorum Regum fuerunt. Ipſi autem Reges legibus ſoluti erant: illiſque quod libebat, licebat. Idque ita patriis legibus cautum, juris Perſici prudentes Cambyſi conſulenti reſponderunt, apud Herodot. lib. 3. Proinde Plutarchus in lib. de trib. generibus rerumpub. Πέρσαι μὲν, ait, αὐτοκρατῆ βασιλείαν καὶ ἀνυπεύθυνον ἀπεκληρώσαντο. Atoſſa quoque, de Xerxe apud Æſchylum ἐν Πέρσαις, Κακῶς καὶ πράξας, ait, οὐχ ὑπεύθυνος πόλει. Uſque adeo autem, libere Perſarum Reges imperabant, ut omnes, qui eorum ditioni parebant (quemadmodum Plutarchus πρὸς ἀπαιδ. teſtis eſt) pro ſervis & mancipiis haberent, ſola uxore excepta. Nec aliter ab illis ſubditi, cujuſcunque conditionis, ordinis, graduſque eſſent, appellabantur. Secundum hunc receptum in illa gente loquendi morem, Artemiſia apud Herodotum lib. 8. Xerxem ita affatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

affatur, Σοὶ δὲ, ὄντι ἀρίστῳ ἀνδρῶν πάντων, κακοὶ δοῦλοι εἰσίν. Hinc Barbaros Dario ſubditos, Δαρείου δούλους, Polemon in Oratione funebri Calliſthenis vocat. Inde Ariſtagoram Mileſium, ſervum vocat Darius in ſua oratione ad Perſas, quam Herodot. lib. 6. refert: & Pelopem Phrygem, majorum ſuorum ſervum appellat Xerxes, apud eundem Herodotum eod. lib. Ibidemque Xerxes Pythium Lydum increpans, qui vacationem militiæ uni ex liberis ſuis concedi poſtularat, Ἐὼν, ait, ἐμὸς δοῦλος, τὸν χρῆν πανοικίῃ αὐτῇ γυναικὶ συνέπεσθαι. Gobrias ſeſe Cyro dedens lib. 4. Xenoph. Pæd. δίδωμι, ait, σοὶ ἐμαυτὸν δοῦλον καὶ σύμμαχον. Eoque nomine, appellari ſe Provinciarum præſides & alij quacunque dignitate poteſtateve præditi, ac vel ipſi germani Regum fratres, atque adeo Reguli ſtipendiarij, non gravate patiebantur. Hinc & Darium ἐκ δούλου καὶ ἀςάνδου, (ad Regium dominatum provectum, Plutarchus lib. 1. de fortit. Alexand. ſcribit. Idem Darius apud Curtium lib. 5. Nabarzanis dicto offenſus, eum, *peſſimum Mancipium*, vocat Hoc vero, re vera erat βαρβαρικόν &c, utut Bodinus contendat Perſas (Græci & Romani tamen ſic ſentiebant) Barbarorum numero eximendos eſſe Quod ad Babylonios (quos Bodinus pariter Ariſtoteli, cui paſſim eſt infeſtus, objicit) illi ſic ad ſervitium facti erant, (conſtat ex lib. 1. Philoſtrati de vita Apollonij) ut Babylone, in porta urbis, Regis ſtatua collocata eſſet, quam ingredi volentes & adorare cogebantur, & ſimul exponere, qua de cauſſa venirent, quid mercium adferrent, & quam artem profiterentur. Similiter apud Medos, ad quos Bodinus quoque provocat, tanta Regis veneratio erat, ut, teſte Herodoto lib. 1. coram eo, neque ridere, neque exſpuere licitum eſſet: quomodo & Parthorum reges, quum ſubditis, velut mancipiis, imperarent, (annotatum eſt è Poſidonio ab Athenæo lib. 14. Dipnoſoph. cap. 14.) iiſdem menſæ ſuæ analecta, veluti canibus, proiicere ſolent. Moſchi, fruſtra quoque à Bodino contra Ariſtotelem ſollicitantur; ut enim notum eſt, Princeps & Senatus illius plane abſoluta utitur poteſta-

poteſtate; ita, ut non modo ſupremus ſit legiſlator, ſed & executor. Leges omnes, nullo Concilio publico prævio, promulgat; in iiſque examinandis, præter domeſticum Senatum, quem pro arbitrio conſtituere atque deſtituere poteſt, nullos adhibet, præter quoſdam Epiſcopos & ſacerdotes, ut plebeculæ ludos faciat; quod hæc, nihil putet, auſpicato aut inchoari, aut geri, niſi quod ex conſilio horum infulatorum cæptum fuerit. Ottomannicum quoque, ſeu Turcicum imperium, plane deſpoticum eſt. Magnus enim Turca, uſque adeo abſolutus eſt Dominus omnium rerum, intra fines ſui dominij contentarum; ut incolæ quoque, laudi ſibi ducant, quod ſe illius mancipia nuncupent. Verum quidem eſt, prætorianos milites, ſeu Janitzaros, ſibi ſæpe per ſeditionem annis proximis authoritatem arrogaſſe, Imperatores non minus conſtituendi, quam etiam deſtituendi, uſque ad excidium eorundem: cæterum, præterquam quod per tumultum hæc acciderunt, amplius, hi ipſi ſedulo curare ſolent, ut Imperatores, quos ipſi conſtituerunt, ſumma hac poteſtate gaudeant. Ex his patet, quodnam imperium ſit Barbaricum, illudque æſtimandum eſſe magis ex modo regiminis, quam, ex ipſo Barbari ſeu nomine, ſeu convitio.

LII. A regno Barbarico, quam diverſum eſt illud, quod inter gentes liberas unquam receptum fuit; ſiquidem inter illas nulli regnum & Majeſtas deferuntur, niſi ſub hac conditione, ut imperanti perpetuo lex prævaleat. Hæc ſiquidem, in omni bene conſtituta Rep. primas obtinere debet, nam teſte Cicerone Phil. 11. nihil aliud, quam recta ratio eſt; cui niſi pareat, quicunque etiam Magiſtratus, rationi adverſatur. Pulchre Plato lib. 4. de LL. tom. 2. Ed. Steph. interprete Serrano: *Huic enim, inquit, civitati præſens paratumque exitium perſpicio, in qua non leges magiſtratibus, ſed magiſtratus legibus præſunt. Salutem vero illi, ubi lex domina eſt Magiſtratuum: Magiſtratus autem, tanquam legis ſervi, legi ſubjiciunt, eique obtemperant. Quippe ſalutem, omniaque alia bona, quæ Dij civitatibus largiri ſolent, hanc civitatem manere animadverto.* Platoni

coni adſtipulatur Ariſtoteles lib. 5. Ethicorum Nicomach. cap. 6. *Propterea non ſinimus imperare hominem, ſed rationem*: *ubi rationem* vocat ipſam legem, quia Plato lib. 12. de LL. dicit *legem* (τὸν νόμον) dictam eſſe ἀπὸ τοῦ νοός, *ratione & mente*: ipſeque Philoſophus lib. 10. Eth. Nicom. cap. ult. dicit: *ſecundum rationem vivere, eſſe ſecundum legem vivere. Eſt autem qui imperat juris ipſius cuſtos, ac ut juris, æqui etiam.* Ex re amplius fuerit, hac de re conſulere Marium Salomonium, in eximio tractatu de Principatu ſub finem lib. 1. item lib. 5. Hieronymum Oſorium Epiſcopum Algarbienſem tract. de Glor. & Nobil. Aretium Cathanum in illuſtri opere de poteſtate Seculari, Vaſquez J. C. Hiſpanum in illuſtrib. Quæſt. lib. 1. cap. 3. & 5. Johannem Baptiſtam Ticklerum Conſiliarium Salisburgenſem in ſuo Dialogo de Jure Magiſtratus: quos authores hoc, loco ideo præ aliis cito, quod omnes Pontificij fuerint, ſuaque ſcripta eo tempore evulgarint, quo Philippus II. liberos Belgas exercere inſtituit. Neque obſtat lex Regia, ſchemate Politico induta, quæ eſt l. 31. ff. de LL. loqui enim videtur aut de iis legibus, quæ pœnam irrogant, ut intelligit Harmenopulus, quo ſenſu Ambroſius in Apologia Davidis dicit: *Rex utique erat: nullis ipſe legibus tenebatur, quia liberi ſunt Reges à vinculo delictorum.* aut in genere de omnibus legibus, quæ ſubditorum cauſa & reſpectu latæ ſunt; ſpectatque præ cæteris regni onera; legum ſolennitates, & ejus notæ alia, *Donel. lib.* 1. *Comment. cap.* 17. aut, uno verbo, Princeps ſolutus eſt legibus Civilibus, jureque privato, in Pandectis propoſito: quomodo V. C. Juris interpretes vulgo docent, quod Princeps teſtamentum facere poſſit abſque legum ſolemnitatibus, arg. *leg.* 19. *Cod. de Teſtam.* item, quod donatio pura atque ſimplex Auguſtæ à Principe facta, valeat, *leg.* 26. *Cod. de Donat. int. vir. & ux.* ad hæc & ſimilia obſervanda, quamvis Princeps compelli non poſſit, nihil tamen Majeſtate ſua indignum facit, ſi iis ſe ſubjiciat *l. digna vox Cod. de LL.* Imperantis quippe officium eſt legibus vivere, iiſque parendo, præire illis, quibus ſolis latæ videntur:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

dentur: quod ſignificat I.C. Paulus l. 23. ff. de Leg. 3. his verbis: *Decet enim tantæ Majeſtati, eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur.* Item Imp. Alexander l. 3. C. de teſt. cum dicit: *Licet enim lex imperij ſolennibus juris Imperatorem ſolverit: nihil tamen tam proprium imperij eſt, quam legibus vivere.* Quo facit illud Plinij, ex incomparabili Panegyrico, quem Traiano dixit: *Legibus te ſubjeciſti, quas nemo Principi ſcripſit:* & iterum: *Non eſſe Principem ſupra leges, ſed leges ſupra Principem.* Nimirum Princeps *imperio maximus, major eſt exemplo,* ut ait Paterc. lib. 1. Atque, ut apud Caſſiodorum lib. 9. rex Athalaricus dicebat: *Summis Principibus juris communione vivendum eſt.* unde prudentiſſime viſus eſt, Apollonius Tyanæus, apud Philoſtratum de vita illius lib. 5. cap. 13. Veſpaſianum, Romanum imperium affectantem, admonuiſſe, ut legi obediret, eamque ſibi dominari ſineret: utque caveret, ne quodcunque vellet, ſibi licere crederet. Quo nomine jure merito à Pacato Theodoſius commendatur his verbis: *Quid tua intererat te Principem fieri, qui futurus eras in Imperatore privatus? idem es qui fuiſti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges licebat. Vnum tibi præſtitit principatus, ut certum haberemus, omnes etiam ſub Imperatoribus aliis, vixiſſe te legibus tuis. Nam, qui nihil facit licenter, cum poteſt, nunquam voluit.* Nec hoc alienum à Majeſtate Principis eſſe, nemo ſibi perſuadeat. *Nam,* (ut ait Plin. in Paneg.) *cui nihil ad augendum faſtigium, ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſe ipſum ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ. Neque enim ab ullo periculo fortuna principum longius abeſt, quam ab humilitate.* Quare Theodoricus Rex apud Caſſiodorum lib. 1. ep. 12. ſic dicit: *Quanquam poteſtati noſtræ, Deo favente, ſubjaceat omne quod volumus,* (loquitur ex ſuo ſenſu) *voluntatem tamen noſtram de ratione metimur, ut illud magis æſtimemur elegiſſe, quod, cunctos dignum eſt approbare.* Quæ de legibus hic diximus, maxime procedunt, ratione legum cujuſque regni, quibus nequaquam Principes ſe ſubducere poſſunt. Publica enim ſalus iis, velut cancellis quibuſdam circumdata pactiſque ſolennibus confirmata eſt; quibus violatis, Princi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

pem ipſum interire neceſſum eſt. Unde & illi, qui præ aliis d.l. Regiam, ad abſolutas, quas fingunt, Monarchias detorquent, ſemper excipiunt leges imperij fundamentales. De quibus Bodinus lib. 1. de Rep. cap. 1. ſic ſcribit: *Quantum ad leges imperij attinet, cum ſint cum ipſa majeſtate conjunctæ, Princeps nec eas abrogare, nec iis derogare poteſt.*

LIII. Atque, ut ad exempla quoque accedamus, hoc modo Deus ipſe ordinavit regium imperium, ſuo tempore populo Iſraëlitico deſtinatum. Lex illius occurrit Deut. 17. verſ. 15. & ſeqq. *ita ſonans*: Tantum ſtatuito ſuper te Regem quem elegerit Jehova Deus tuus: è medio fratrum tuorum ſtatuito ſuper te Regem, non poteris tibi præficere virum extraneum, qui non frater tuus ſit. Verumtamen, ne multiplicato ſibi equos; neque facito, ut hic populus revertatur in Ægyptum ad multiplicandum equos: Cum Jehova edixerit vobis, ne deinceps redeatis per viam hanc ampliùs: Neque multiplicato ſibi uxores, ut non recedat animus ejus à me: argentum quoque & aurum ne multiplicato ſibi admodum. Sed erit quum inſidebit ſolio regni ſui; ut deſcribat ſibi exemplum hujus legis in libro, *ex eo qui erit* in conſpectu Sacerdotum Leviticorum: Eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat timere Jehovam Deum ſuum, obſervare omnia verba hujus Legis, & ſtatuta iſta faciendo ea: Ne efferatur animus ejus præ fratribus ſuis, & ne recedat ab hoc præcepto dextrorſum aut ſiniſtrorſum: ut prolonget dies in regno ſuo, ipſe & filij ejus, in medio Iſraëlis. *Hucuſque Lex Dei ipſius, de regis Iſraëlitici jure.* Quibus mos eſt, omnia principum dicta & facta laudare, quique ſollicite hoc agunt, ne videantur unquam tyranni licite à ſuis ſubditis deponi, præ cæteris contra præcedentem Legis formulam, ſollicitare atque pro ſe adducere ſolent formulam, illius juris Regii Iſraëlitici, quod videtur proponi per Samuelem lib. 1. Samuel. cap. 8. colliguntque ex ea, nihil unquam à tyranno immaniſſimo quoque, deſignatum fuiſſe, quod non videatur ibi, tanquam licitum, proponi;

poni. Novi omnino, quam, circa explicationem hujus loci, jam olim quidam ex antiquis Patribus fluctuaverint, &, quantum adhuc hodie à multis laboretur, quo, commode Samuel cum Moſe conciliari queat. Multorum quidem opinio eſt, apud Samuelem non proponi jus ejuſmodi, quale legitime ab ipſis Regibus uſurpari poterat, ſed prædici duntaxat, quomodo Rex, quem deſiderabat Iſraël, tyrannidem tantam exerciturus eſſet, ut, ſub ea quoque ſuſpiraturi forent, quibus volupe videbatur, ſub Rege vivere: ex quorum mente jam olim Clemens Alexandrinus ſcripſit: *Deus petenti Regem populo, non humanum pollicetur Dominum, ſed ſe inſolentem daturum minatur tyrannum, libidini & voluptatibus deditum.* Atque, hinc complures apud Samuelem, vocem *miſphat* interpretantur morem, & conſuetudinem: quod vox illa alias eadem ſignificatione gaudeat Num. 9. v. 14. Joſ. 6. v. 15. & cap. 9. v. 14. 1. Sam. 2. v. 13. & cap. 27. v. 11. 1. Reg. 18. v. 28. 2. Reg. 17. v. 33. & 34. Pſal. 81. v. 5. Sed, quamvis negari non poſſit, frequentiſſime vocem jam dictam, hac ſignificatione gaudere; nequaquam tamen, inde inferre licet, neceſſario proinde, præſenti Samuelis loco hanc eandem ſignificationem convenire. Nam ipſi LXX. Senes habent δικαίωμα; Vulgata *jus*: Chaldæus Paraphraſtes *legem*. Et ex Hebræis Maimonides, & Rabbi Joſe apud Kimchium, volunt hæc vere eſſe *juris Regij*. Imo idem Rabbi Juda, cum Rabbi Levi Gerſomi filio, ea ſolummodo propoſita fuiſſe contendit, à Samuele ad metum Iſraëlitis incutiendum. Mihi, ut non diſplicet eorum ſententia, qui contendunt, apud Samuelem agi de *jure Regio*; ita nequaquam tamen iiſdem accedo, quando ea, quæ juris regij erant, opponunt iis, quæ juſta apud Deum erant: neque enim quicquam in jure regio Samuelis proponi exiſtimo, quod non pariter juſtum ſit coram Deo, habita ratione tum perſonæ Regis, tum etiam ſpecialium circumſtantiarum temporis: eoque, mihi arridet valde Lirani ſententia, qui duplex jus regium agnoſcit, unum in neceſſitate poſitum, & alterum extra neceſſitatem. Utrumque, enim niſi

mora-

moraliter juſtum eſſe agnoſcamus, ſequetur Samuelem Prophetam coram facie Jehovæ, atque prope arcam depoſuiſſe tabulas juris regij, in ſe moraliter neque juſti, neque honeſti, ſed conſiderandi ſolummodo ad modum mali pœnæ. quomodo Thomas Aquinas lib. 3. de Regimine Principum cap. 11. aſſerit, *hoc jus eſſe bonum, non ſimpliciter in ſe, ſed reſpectu hominum adeo contumacium & ad malitiam projectorum, quos tyrannice & deſpotice gubernari juſtum ſit, ut ſit perpetua veluti eorum pœna & correctio.* Sic enim legas lib. 1. Sam. cap. 10. v. 25. *Quumque eloquutus eſſet Schemuel apud populum jus regni, & deſcripſiſſet in quodam libro, collocavit eum coram Iehova.* Scio quoſdam, eoſque majorum gentium Interpretes, hic intelligere illud jus, jam relatum Deuter. cap. 17. ſed quæ ratio fuerit illud deſcribendi, cum à Moſe jam multis ſeculis ante deſcriptum eſſet, & quotidie legeretur; nec hujus juris regij, quod quidam, veluti tertium aliquod jus conſiderare inſtituerunt, alia cenſendum eſt fuiſſe capita, quam diſtincte proponuntur cap. 8. ſi enim alia fuiſſent, cur mentionem eorum non feciſſet Spiritus Sanctus, cum publice intereſſet ea non ſolum explorata eſſe, verum etiam tanquam θεόπνευστα agnoſci, atque fas fuerit ea in vulgus non minus nota eſſe, quam alias leges politicas, ratione minutiſſimarum quoque circumſtantiarum, adeo fideliter à Moſe relatas. Quis enim fidem habeat Flavio Joſepho aſſerenti in libro, quem Samuel depoſuit, tantummodo deſcriptos fuiſſe caſus adverſos, quos ſub Regibus Judæi ſubituri erant?

LIV. Conſiderato regno Iſraëlitico, deſpiciendum eſt, quid exiſtimare conveniat de regum apud Romanos poteſtate; eos dominos quaſi fuiſſe, quidam colligunt ex his primis Taciti verbis: *Vrbem Romam à principio Reges habuere. Libertatem, & conſulatum L. Brutus inſtituit.* Non tamen æque dominos fuiſſe agnitos, atque reges inter Barbaros; (de quibus ſic Galba in allocutione ad Piſonem, apud eundem ſcriptorem lib. 1. Hiſt. cap. 16. *Neque enim hic, ut in cæteris gentibus, certa Dominorum domus, & cæte-*

& cæteri ſervi.) patet clare ex Livio, atque à nobis oſtenſum eſt ſupra Th. 15. Præterea idem probari poteſt per ampliſſimum Patrum conſeſſum; item ex eo, quod regnum illorum non foret ſucceſſivum, ſed electivum, unde & excluſis Anci filiis, regnum delatum eſt Tarquinio Priſco, ut docet Livius lib. 1. atque ſub ipſis regibus Senatum ipſum admiſſum fuiſſe in ſocietatem Majeſtatis, docere videntur hæc verba Flori, lib. 1. cap. 5. ſic de Tarquinio Priſco proloquentis: *Hic & ſenatus majeſtatem numero ampliavit, & centuriis tribus auxit.* Quænam vero, prærogativa ſpecialis Regum Romanorum præ Coſſ. fuerit, explicare difficile eſt. Occaſione Coſſ. hæc quidem lego apud Pomponium l. 2. §. 16. O. J. *Qui tamen ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi.* At à Regibus quoque ante Coſſ. de facto, ut loquuntur, provocatum fuiſſe; patet ex d. T. 15. Principes, qui poſtea remp. contra populi voluntatem *oppreſſa per vim libertate* (ut ſupra nos recte Ampelius docuit) occuparunt, licet omnia eſſent, atque *perpetua* eorum *dictatura dominaretur*, non tamen voluerunt videri populum ſua Majeſtate exuiſſe. Ut ut ſchemate legis Regiæ (de qua ſupra opinionem noſtram propoſuimus) hanc ſupremam ſuam poteſtatem palliarent. Atque hinc Ulpianus *lib.* 7. de Officio proconſulis *l.* 1. §. 1. *ff. ad L. Iul. Majeſt.* ita crimen Majeſtatis deſcribit, *quod adverſus populum Romanum vel ſecuritatem ejus committitur. Adverſus Populum Romanum*: nam ita adhuc hoc tempore, quanquam ſub ſtatu Monarchico, loqui mos erat. Hinc & *populi jura* quædam fuere, unde titulus legeſque *de jure Fiſci & populi leg.* 1. *ff. de bonis damnatorum*: & apud Lampridium, in *Alex. Severo*: & Paulum *lib.* 5. *Sentent. tit.* 12. Sed & *Legatus Pop. Romani*, apud Spartianum *Severo*, & alios adhuc audiebat.

LV. Quid vero exiſtimandum ſit de moderno Imperatore Romano-Germanico, jam antea indicavimus ex rei veritate Theſi XXVII. atque ſolide probat is, qui ſub nomine Hippolithi à

thi à Lapide edidit eruditam Diſſertationem de Ratione Status in Imperio Romano-Germanico; ſcilicet per Electores, repræſentantes totum Imperium, Imperator ſic ſubjective ſupremam Majeſtatem ſecundum certam formulam, & definitum modulum accipit, ut ſemper tamen Principes & Ordines Imperij, totum populum Germanicum repræſentantes, Imperatore ſuperiores maneant, uſque adeo quoque, ut eum (exemplum occurrit in Wenceſlao cognomento Ignavo, imperio dejecto anno N. C. 1400.) exauthorare queant, ſi neglexerit obſervare leges, ſecundum quas exercitium Majeſtatis eidem eſt commiſſum. Quas leges, ut illi, qui in Imperio populum repræſentant, ferre & poſſunt & ſolent, idcirco hi ipſi, ſeorſum abſque Imperatore quoque (contra quam perperam quidam ſentiunt) conſiderati, eodem ſuperiores cenſeri ſolent. Æque atque liberâ rep. Romana, propterea P. R. agnoſcebatur omnibus ſuis Magiſtratibus ſuperior, & vera gaudere Majeſtate, quod ſolus poteſtatem haberet ferendi leges. Unde ſic dicit Julianus leg. 32. §. 1. ff. de LL. *Nam cum ipſæ leges, nulla alia ex cauſa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ ſunt: Merito & ea, quæ ſine ullo ſcripto populus probavit, tenebunt omnes: Nam quid intereſt, ſuffragio Populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis.*

LVI. Conſiderandum quoque eſt Imperium Franco-Gallicum, & deſpiciendum, an Rex ejuſdem, tam plena manu Majeſtatem conſequatur, ut nulli teneatur rationem reddere, niſi ſoli Deo. Apud Vincentium Lupanum lib. 1. de Magiſt. Franc. hæc quidem lego. *Eſt autem regnum Francorum παμβασιλεία, apud eoſque tantum regium nomen valet, ut tanti quæque res ſit, quanti à Regibus æſtimatur. Solent enim homines plerumque vitam Principis æmulari. Tanta vero in Reges ſunt obſervantia, quanta poteſt dici maxima: adeo ſacramento Regi dicto Franci religione tenentur. Itaque belli indicendi, pacis firmandæ, vectigalis imperandi, legum ſanciendarum, creandorum magiſtratuum illi jus: & in ſumma, quod libet, licet; & quæ dicit, pro legibus habentur: ea tamen moderatione, ut Antigoni exemplo*

id ſibi tantum licere putet, quod natura honeſtum & per ſe rectum ſit. Populus vero, atque adeo proceres tanta veneratione Regem colunt, ut pro ejus dignitate conſervanda non opes tantum, ſed vitam ipſam profundere non dubitent: eaque, jam ab anno non modo 1560. quo hæc Lupanus ſcribebat, verum diu antea quoque invaluiſſe, inficias ire non licet, abolito per omnia trium Statuum Parlamento, quod hodie non niſi inane nomen, ſi non umbra eſt. Cæterum, quum ſubinde, hoc quoque tempore, quo adulta videtur Regum Chriſtianiſſimorum Majeſtas, ſubinde Subditi (quibus alias obſequii gloria relicta eſt) obſerventur voto ſaltem expetere ejusmodi Parlamentum; operæ pretium fuerit, rationem illius exponere verbis Ic. celeberrimi, ceu Franciſci Hotomanni, qui in ſua Francogallia cap. 10. pag. 86. & ſubſeq. *ſic loquitur*: Quum Reſp. noſtra majorum inſtituto temperata è tribus generibus fuiſſet, conſtitutum eſt, ut quotannis, atque adeò quoties major aliqua res incideret, ſolenne & publicum concilium indiceretur: quod propterea Trium Statuum Parlamentum appellatum eſt: cum eo vocabulo colloquium & conventus hominum intelligeretur, variis ex locis, unum in locum communi de re deliberandi cauſſa coeuntium, itaque colloquia inter hoſtes pacis aut induciarium cauſſa inſtituta, ſemper in Chronicis noſtris illo Parlamenti nomine appellantur: Huic porro concilio, Rex in aureo tribunali ſedens, præerat: cui primum Principes Regnique magiſtratus, tum inferiore loco Legati ex ſingulis civitatibus ſubſidebant: quos populari lingua Deputatos appellamus. Nam ubi dies Concilii venerat, Rex ea pompa in conſtitutum atrium deducebatur, quæ magis ad popularem moderationem, quàm ad Regalem magnificentiam accommodata videbatur. Quam, etſi perditis hiſce temporibus aulicis, aſſentatoribus irriſui fore non dubitamus, tamen quoniam pietatis pars eſt, Majorum ſapientia delectari, ex antiquis monimentis exponemus. Carpento igitur Rex in atrium vehebatur bubus tracto, quos auriga ſtimulo agebat. Ubi verò in atrium ac potius in Reip. ſacrarium

crarium

crarium ventum erat, tum Principes Regem in aureo ſolio collocabant: reliquique (ut jam diximus) ſuo quiſque loco atque ordine ſubſidebant. Eóque demum ſtatu atque ſacrario Regia Majeſtas dicebatur. cujus rei etiam nunc inſigne monimentum animadvertere licet in typo Regio, quo Sigillum Cancellariæ vulgò nominamus, ubi Rex non equo militari inſidens, aut triumphali more quadrigis invehens, ſed togatus & coronatus ſedens in ſolio, dextráque ſceptrum regale, ſiniſtra ſceptrum Juſtitiæ tenens, ſolennique concilio præſidens conſpicitur: Et profecto ita eſt, ut ibi demum Regalis majeſtas verè proprièque dicatur, ubi de ſumma Reipub. conſilium agitur: non, ut imperitum vulgus uſurpare ſolet, ſive Rex ludat, ſive ſaltet, ſive cum mulierculis garriat, ut ſemper Majeſtatem Regiam nominet. *Hactenus Hotomannus*; qui licet, dum viveret quoque, ob hæc tam libere aſſerta, multa perpeti debuerit; ea ipſa tamen, quæ hactenus ex eo propoſuimus, tam ſolide per eum probantur, in teſtimonium advocatis hiſtoricis fide digniſſimis, ut nihil ultra deſiderari cum ratione hic à quoquam poſſit.

LVII. Regnum Hiſpanicum, auguſtiſſima Regis ſui Majeſtate ſuperbiens, paucis quoque conſiderandum. De Rege quidem vulgo, non minus Politici, quam Hiſpanici Hiſtorici perhibent: quod nullum ſuperiorem agnoſcat in temporalibus, quodque naſcatur, non eligatur. Interim hic ipſe Rex, qui complura Hiſpaniæ regna antea diviſa, Caſtellæ ſuæ ſingulari fato ſociavit, neutiquam in omnibus ſuis regnis & dominiis, parem & æque abſolutam poſſidet imperandi poteſtatem; nam primum in Arragonia res ſeſe in hunc modum habet, vel potius habuit. Magna ſunt jura, privilegia, libertates ac immunitates Arragonenſium (inquit *Præſes Thuanus* lib. 104.) quas ipſi poſt Hiſpaniam à Juliano comite ob ſtuprum filię à Roderico Rege illatum, proditam & totis IↃCC. annis à Saracenis poſſeſſam, juris ſui effecti, ſibi dixerunt, condito ſupremo Magiſtratu, cui Juſtitiæ nomen impoſuerunt, qui ſecundum eam jus diceret.

Quis vero hujus perſonatæ Juſtitiæ, in eligendo Arragoniæ Rege, antiquitus actus fuerit, ex rei veritate, l. d. ſequentibus verbis Hottomannus *docet*: Cum in communi Arragoniæ concilio Regem creant, rei memoriæque conſignandæ cauſſa fabulam peragunt: hominemque inducunt, cui juris Arragonici nomen imponunt: quem Rege majorem ac potentiorem eſſe communi populi decreto ſanciunt: tandemque Regem certis legibus & conditionibus creatum, his affantur verbis, quæ propter eximiam ac plane ſingularem, gentis illius in frenando Rege fortitudinem, proferemus: *Nos qui tanti ſumus, quanti vos, & pluſquam vos poſſumus, Regem vos eligimus his atque his conditionibus. Inter vos & nos unus majore cum imperio eſt, quam vos.* Amplius Catalauniæ quoque regimen pene liberum (inquit *Boterus*) licet Juſtitiæ adminiſtratio penes Regem ſit, ſed conditionatum: in publicis conventibus, ſi quid à Rege petatur, niſi omnes conſentiant, haud facile quicquam obtinetur: atque hoc jus ſuum, ante annos non ita multos, Catalauni gnaviter, excutiendo ſervitii jugum, vindicarunt. Cantabri quoque libertatem ſuam acriter tuentur, neque Regem fere niſi dominum agnoſcunt; adeo ut Regem fines eorum ingredi, non niſi bene armatum & comitatum neceſſe ſit, ait *Boterus*. Atque ut Hiſpani quoque, à temporibus Caroli V. facti ſunt Belgii Domini, & tales quoque agniti; ita tamen, quod ad Belgium, in illos non fuit collata alia Majeſtas, quam reſtricta & limitata. Omni enim tempore inter Belgas ſuprema poteſtas legibus fuit definita, atque Ordinum (Ephoris Lacedæmoniis non abſimilium) conſultis temperata. Neque Principi ulla poteſtas in Ordines competit, ſed his in illum ſumma: unde recte Guiciardin. de Ordinibus agens, ait: *Solet eos Princeps multis rationibus, atque argumentis in ſententiam ſuam perducere: neque enim aliter quam perſuaſionibus agi poteſt, cum non ut alibi, multis in locis, ita hic dicere liceat: Sic volo, ſic jubeo.* Neque ſub Carolo V. primum limitata fuit dominantium potentia, ſed jam olim pleriſque Provinciis hoc receptum fuit. Atque in Brabantia quidem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

dem, à temporibus Henrici V. Ducis, qui ipſe hoc teſtamento ſuo Latine ſcripto cavit, fidem faciente Agylæo in comment: ad inaugur. Philippi II. De Flandria teſtis eſt *Marchant. lib.* 1. *deſcript. Flandr.* De Hollandia idem probat *Grotius de antiq. Reip. Batav. cap.* 9.

LVIII. Ea quoque ratio Majeſtatis regiæ apud Anglos fuit, uſquedum Regia Majeſtas uno ſecuris ictu præcideretur. Quod ſuffecerit probaſſe teſtimonio & verbis Polydori Virgilii lib. 2. Hiſt. Angl. *ſic ſcribentis*: Ante hæc tempora, (Regis autem Henrici I. vitam exponit) Reges conſueverant populi conventum conſultandi cauſa, niſi perraro, facere. adeo ut ab Henrico id inſtitutum manaſſe, jure dici poſſet. quod tam altis defixum, uti etiam nunc, radicibus ſemper ſtetit, ut deinceps quicquid ad Remp. bene gerendam, ejuſque conſervationem foret, deliberandum foret, illud ad concilium deferretur: & ſi quid aut Regis aut populi juſſu decretum factumque eſſet, id totum pro nihilo haberetur: niſi ejuſmodi concilij auctoritate foret comprobatum. Ac ne imperitæ vulgi multitudinis, cujus proprium eſt nihil ſapere, judicio, Concilium impediretur, certa lege exceptum fuit ab initio, qui ex Sacerdotum cœtu, quive, quotve ex reliquo populo vocari deberent ad concilium. More Gallico vulgo Parlamentum appellant: quod unuſquiſque Rex initio ſui Regni habere ſolet: qui & deinde, quoties res poſtulat, ſuo arbitratu illud ipſum convocat. *Hæc Virgilius.*

LIX. De aliis regnis in Europa, quod in iis Majeſtas regia arctioribus cancellis ſit circumſcripta, non neceſſum eſt agere. Patet vero ex iis, quæ jam dicta ſunt, ſi excipias imperium Barbaricum, nulli regi à populo, iiſque, qui eum repræſentant, tam abſolutam deferri Majeſtatem, quin aliquo legum vinculo ſit aſtricta. Quod ſupra quoque monebamus, quum conſideraremus perſonas, quibus Majeſtas ſubjective deferri ſolet. Eoque, non auditur à nobis *Barclaius*, qui *lib.* 1. *contra Monarchom.* ſtatuit, jus regis eſſe poteſtatem quidvis agendi, ſine

cujus-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

cujuſquam objurgatione ; nec *Ioh. Bodinus celebris Politicus*; (quem multi haut de trivio Doctores Politici ſequuntur) *lib.* 1. *de Rep. cap.* 8. *docem* Principem civilibus legibus exolutum eſſe: itemque Albericus Gentilis quum in Quæſt. Regiis dicit: *Etenim Princeps, qui abſoluta jura Majeſtatis habet, nihil ſupra ſe cernere poteſt, neque hominem, neque legem.* Imo ſi de facto populus ſive Reſp. omne ſuum imperium & poteſtatem, ut dicitur in *l.* 1 *ff. de Conſtit. Principum.* ſine ulla aut reſervatione, aut exemptione, aut conditione Principi ſupremo ceſſiſſet, verba generalia ſecundum ſubjectam materiam eſſent reſtringenda, & ſubintelligenda tacita hæc conditio, *quatenus ſubditorum utilitas patitur.* Nam 1. Rex eſt propter Regnum, non contra. 2. Poteſtas peccandi Principi dari non poteſt. 3. Nulla poteſtas ad nocendum alicui dari poteſt. Quotieſcunque vero Politicorum filii abſolutam poteſtatem Principi deferunt, ut ab errore excuſari poſſint, per eam intelligere convenit, poteſtatem univerſalem, præeminentem, & ſummam, ſic dictam ratione poteſtatis ſubordinatæ, particularis, & ſpecialis, quæ dependet ab illa. Simul recte dicitur imperium in orbe Chriſtiano nullum eſſe abſolutum. Scio diſſentire Hobbes in Comment. de Cive cap. 6. §. 13. eumque, in Annotationibus ad poſtremum hoc aſſertum, ſic reſpondere: *Quod certe non eſt verum: nam omnes Monarchiæ, omneſque alij ſtatus civitatum tales ſunt. Quanquam enim illi, qui ſummum imperium habent, non omnia faciunt, quæ vellent, & quæ civitati utilia eſſe ſciunt, cauſa ejus rei non eſt defectus juris, ſed conſideratio civium, qui privatæ rei attenti, & earum rerum, quæ ad publicum ſpectant ignari, ad officium quandoque ſine periculo civitatis cogi non poſſunt. Itaque Principes ab exercitio juris ſui abſtinent aliquando, prudenterque de re aliquid, de jure autem nihil remittunt.* At hæc ſpecioſius dicuntur, quam ſolide probari queant. Illi ipſi Principes, qui civiles vulgo habentur, non remittunt de jure ſuo, quod ut ſummum quoque uſurpare poſſent, ſed illius ex officio, quam dimiſſe obſervantes ſunt: quod ſi ſecus fecerint, argui non minus poſſunt neglecti

officij,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

officij, quam etiam juramenti, quo ſe obſtrinxerunt ad obſervandas leges Regni fundamentales: Juris vero naturalis, modo homines haberi velint, atque rationem audire, ſecundum quam homo eſt illud, quod audit, neutiquam ſecuri eſſe poſſunt, niſi ſimul hominem exuere voluerint. Quod gnarum quoque Bodino fuit lib. 1. de Rep. cap. 1. pag. 132. Ed. in Oct. *ſic ſcribenti:* Quid autem ſit abſoluta, vel potius ſoluta lege poteſtas, nemo definit. Nam ſi legibus omnibus ſolutam definiamus, nullus omnino princeps jura Majeſtatis habere comperiatur, cum omnes teneat lex divina, lex item naturæ; tum etiam lex omnium gentium communis, quæ à naturæ legibus ac divinis diviſas habet rationes. *Hactenus Bodinus.* Quæ ſupra adduximus, circa illam decantatam l. 31. repetita volumus, hoc ſolum addimus, in Imperio Romano ipſos Principes, qui præ aliis prudentes habebantur, illam legem aliter non interpretatos fuiſſe, quam de ſuis legibus, ſive illis legibus civilibus, quas ipſi tulerant. Quomodo ex ſerte dicit Tacit. lib. 3. Ann. de Tiberio, quod *ſuas leges egrederetur.* Atque huc traho illud Ammiani Marcellini lib. 16. *Incuſant iura clementiam, ſed Imperatorem mitiſſimi animi, cæteris legibus præſtare decet.* Simul illam antiquam Inſcriptionem de Valentiniano: *Legum domino Romanarum,* (N.B.) *juſtitiæ, æquitatiſque Rectori.*

LX. Ut ergo, quemadmodum ex ſuperioribus patet, in bene ordinatis regnis, & imperiis, Majeſtas non ſolet à populo, aut illis, qui eum repræſentant, uni alicui deferri, niſi ſub certis legibus, atque ſalvo ſemper jure Divino & naturali, (quo Princeps nullus exſolvi poteſt) eoque, ſi juramentum à ſe præſtitum negligat, poteſtate conceſſa abutatur, conſcientiis vim inferat, exutoque bono Principe, induat tyrannum, & Ephori nihil proficiant monendo, poſſunt (quidquid alij contra doceant) imperium illi & filiis abrogare. Ut evincitur ſequentibus rationibus. 1. Quia populus ſub hac tantum conditione, aut expreſſa, aut tacita, ut nempe juſte ac piè imperaret, fuit obli-

gatus ſupremo magiſtratui; quam conditionem quando negligit, ex vi contractus, nequaquam illi obſequium debet. 2. Ephori, qui habent jus à populo delegatum eligendi Principem, etiam jus habent eum deponendi. Inferior enim ejus poteſtas eſt poteſtate, quam populus in Ephoros contulit. 3. Ephororum officium, æque ac ſupremi Magiſtratus eſt, defendere ſalutem ſubditorum contra quaſcunque tyrannorum molitiones. Si ergo ſupremus Magiſtratus tyrannidem exercere incipiat, idem in eum, quod in alium quemque, ſtatuere poſſunt. 4. Si hoc non liceret Ephoris, infinita tyrannorum licentia confirmaretur, eâque ſocietas civilis, & melior pars generis humani, præſertim Eccleſia deſtrueretur. 5. Quia Ephori ſupremi Magiſtratus adjutores & quaſi collegæ ſunt, non poſſunt non ei, quando officium negligit, reſiſtere, ne communicent alienis peccatis. 6. Quia ſupremo Magiſtratui, tantum ut mandatorio, ſuprema poteſtas delegata eſt, mandantes, quotieſcunque mandati fines excedit, eandem illi abrogare poſſunt. 7. Tacito quodam jure inter omnes gentes hoc receptum eſt. In politia Judaica exempla occurrunt varia, præcipua vero enarrantur. 1. *Sam.* 14. *v.* 45. 1. *Reg.* 12. *v.* 15. *& ſeqq. Ier.* 26. *v.* 24. Athenis ejectus Piſiſtratus *Herod. lib.* 1. & poſtmodum 30. Tyranni à Thraſibulo. Spartæ abrogata poteſtas Cleomeni & Demarato. Romæ ejecti Tarquinij, & poſtmodum varij Imperatores, nominatim Nero, Vitellius, Heliogabalus, & Maximinus hoſtes judicati ſunt. Authores citat *Tholoſan. lib.* 26. *de Rep. cap.* 4. Depoſitus quoque ab Electoribus Wenceſlaus, cognomento ignavus eſt, idemque accidit multis Regibus Gallicis, Anglicis, Hiſpanicis, Danicis, & Suedicis, quorum nomina refert *Hottoman. de antiq. jure Regni Gallici cap.* 7. A ſententia hac, quæ, præter plurimos Politicos, ex Orthodoxis Theologis, Luthero, Martyri, Danæo, Urſino, & Pareo placuit, in alia omnia abeunt *Alberic. Gentilis in diſput. de Regal. Guil. Barclaius lib.* 3. *de Regno cap.* 6. Item Grotius (immemor eorum, quæ quondam ſcripſerat *lib. de Antiq. Batav. cap.* 6.) *lib.* 1. *de jur. belli ac pacis cap.* 4.

LXI. Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

LXI. Ex iis, quæ hactenus diximus, poſſumus colligere accuratam Majeſtatis realis definitionem. Supra Th. 5. pro tempore acquieſcere poteramus in hac Bodini deſcriptione, quod Majeſtas (ſcil. delegata) ſit *ſumma in cives ac ſubditos legibus ſoluta poteſtas.* Quum vero ex præcedentibus liqueat, Majeſtatem, in communi nempe, conſiderari poſſe, vel abſolute, vel ſeſecundum rationem delegationis, ſive relative; ſi attendatur priori ratione Majeſtas, in Republ. bene ordinata (prout jam antea conſideravimus) ſubjectum illius eſt populus, atque hæc ſubſequens deſcriptio ſecundum eum omnino valere debet: *Majeſtas realis abſolute & citra delegationem conſiderata, eſt ſuprema & perpetua liberi populi poteſtas, nullis legibus aut imperio alicujus ſuperioris ſubjecta.* Meminiſſe hic omnino debuimus non modo populi, verum ejuſdem quoque liberi. In quo vero hæc libertas populi conſiſtat, diſtincte explicandum videtur. Initio ergo notetur, duplicem dari libertatem, moralem ſeu Ethicam, & Politicam ſeu civilem. Quantum ad illam, ea in hoc conſiſtit, ut aliquis convenienter vivat ſecundum legem naturæ, atque ſic rationi obſequatur, ut nullius vitij ſit mancipium. Egregie Plutarchus lib. de Audiend. Poët. per interpretem loquitur: *Rationi qui parent* (inquit) ſoli digni ſunt, qui pro *liberis habeantur. Soli enim hi vivunt, ut volunt, qui quid velle debeant, didicerunt.* Sen. ep. 8. *Philoſophiæ ſervias oportet, ut tibi contingat vera libertas, non differtur in diem, qui ſe illi ſubjecit & tradidit, ſtatim circumagitur. hoc enim ipſum philoſophiæ ſervire, libertas eſt.* Præclare quoque Chryſoſtomus ſerm. de Joſepho: ὃν ὁ ἴδιος τρόπος οὐκ ἐλευθεροῖ, τοῦτον μύριοι χάρται, μέλανα, καὶ γράμματα ἐλευθερῶσαι οὐ δύνανται. Tali libertate Æſopus & Epictetus gaviſi fuerunt, legaliter licet ſervi eſſent. Politica ſeu civilis libertas, iterum duplex eſt, publica & privata: illa opponitur imperio, hæc vero ſervituti, proprie ſic dictæ. Obſervatu dignum, quod de illa dicit Tacitus lib. 4. Hiſt. cap. 64. *Libertas & domini haut facile miſcentur.* Publica hæc libertas, oppoſita licet imperio, ſeu dominationi alterius, cum legum obſe-

 quio,

quio, cui nullus populus ſe ſubducere poteſt, amiciſſime conſpirat. Præclare Cicero pro Cluentio: *Legum* (inquit) *idcirco omnes ſervi ſumus, ut liberi eſſe poſſimus.* Atque hic, publicæ libertati cum privata convenit. Inde manumiſſus ſervus apud Perſium Sat. 5. verſ. 88. & ſeqq. gloriatur:

Vindicta poſtquam meus *à prætore receſſi,*
Cur mihi non liceat, juſſit quodcunque voluntas,
Excepto, ſi quid Maſuri rubrica notavit.

Hæc publica libertas, quæ ab aliis *libertas ſtatus* dicitur, convenit omni imperio, ipſi Monarchico quoque, modo populus ſubjective Majeſtatem poſſideat. Licet non infrequens ſit Tacito, eam aſſignare uni imperio Ariſtocratio. Ne hic jam repetam, quæ antea notavi Th. 14. ſpeciatim ita legas apud illum in veſtibulo Annalis primi: *Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* eodem lib. cap. 4. *Pauci bona libertatis incaſſum diſſerere.* & cap. 8. *Qui à parentibus acceperant, diem illum crudi adhuc ſervitij, & libertatis improſpere repetitæ.* Alias Reges & Principes boni, qui ſciunt ſe, populum, aut eos, qui hunc repræſentant, ſuperiores habere, libertatem quoque iiſdem vindicant: quam habent quoque revera, etiam tum, quando dominantes negant. Claudianus lib. 3. de Laud. Stilic.

Fallitur, egregio quiſquis ſub principe credit
Servitium: nunquam libertas gratior extat

Quam ſub rege pio. Eo & ſpectat, quod Seneca ait lib. 7. de Benef. cap. 5. *Sub optimo Rege omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio. Libertas ſub tali egregia.* Boëthius lib. 1. de Conſol. cap. 5. εἷς βασιλεὺς ἔςω, εἷς κοίρανος. *Qui frequentia civium, non depulſione lætatur: cujus agi frænis, atque obtemperare Iuſtitiæ ſumma libertas eſt.* Tacitus Agricola cap. 3. *Nerva Cæſar olim res diſſociabiles miſcuit, principatum ac libertatem.* Sic Romanos commendat Atticiſtarum Eloquentiſſimus Ariſtides Encomio Urbis: τοσαύτην μὲν γὰρ ἔχοντες τὴν ἀρχὴν οὕτω δ᾽ ἐγκρατῶς, καὶ κατὰ πολλὴν ἐξουσίαν ἄρχοντες, ἐκεῖνο καὶ πολὺ μάλιςα νενικήκατε, ὃ παντελῶς ὑμῖν ἐςιν ἴδιον, μόνοι γὰρ τῶν πώποτε

πόλις ἐλευθέρων ἄρχετε. Rutilius ad Romam eandem:

Te Dea, te celebrat Romanus ubique receſſus,
Pacificoque gerit Libera colla jugo.

Infinita talia Encomiaſtæ, Panegyriſtæ. In populo interim Barbarico ſecus ſe res habet. Hinc Tacitus lib. 13. Annal. cap. 34. *Libertas ignota Armeniis*. Ergo liber populus, eo ipſo liber eſt, quod præter Deum, alium, aut alios ſuperiores non agnoſcat: nec patiatur aut ſervitium, aut dominationem. Hæc duo ſiquidem, cum primis populi libertati adverſantur. Inde illud Taciti lib. 16. cap. 22. *Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur, alienum ſervitium & dominationem concupiſcentibus*. Ac proinde liber populus ſic deſcribitur à Ic. Proculo in famoſa illa leg. *Non dubito*, ſive leg. 7. de Captiv. & Poſtlim reverſis. §. 1. *Liber autem populus eſt is*, (inquit) *qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus*. Egregie quoque Cicero Orat. pro Corn. Balbo: *Hæc ſunt fundamenta firmiſſima noſtræ libertatis, ſui quemque juris & retinendi & dimittendi eſſe dominum.*

LXII. Cæterum, quod occaſione hujuſce Libertatis (quæ eſt Libertas Status) dubia quædam, neceſſario ſolvenda, emergant, videtur illis ante omnia occurendum eſſe. Ergo *primo* quæritur, an iis quoque populis concedenda ſit Libertas, qui per fœdus, alios ut ſuperiores, agnoverunt? Cui dubio quum jam antea Th. 111. fuerit ſatisfactum verbis Proculi Ic. videntur eadem hic repetenda eſſe, quo, quæ ibi dicta ſunt de Majeſtate, hic libertati applicari queant. Ita ergo loco proxime laudato, *alterius loquutur*: Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus, ſive is fœderatus eſt; item ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe; non, ut intelligatur, alterum non eſſe liberum. Et quemadmodum clientes noſtros intelligimus Liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neque omni jure nobis pares ſunt, ſic, eos, qui Majeſtatem noſtram comiter conſervare debent,

bent, liberos eſſe intelligendum eſt. *Huc uſque Proculus*: cujus verbis nihil addo hactenus, quod agam ſolummodo præſenti quæſtione, de nuda agnitione alicujus, ut Superioris: quæ eſt agnitio animi, civiliter ſolummodo humani, citra aſſenſum ſubjectionis. Sed, (*ſecundo*) quid ſi illi, qui hanc civilitatem aliis, ut ſuperioribus, exhibent, eorum quoque præſidia recepe-rint? Certe, hoc modo delibatur Libertas, quod veluti inferiores, &, qui fateantur ſe victos eſſe, videantur præſidia debuiſſe admittere, eo, quod non ſufficerent ſuæ Libertatis tuitioni, quam, per admiſſa præſidia, poſſident quadantenus ut præcariam. Hinc Livius lib. 36. *Ab Æno & Maronia præſidia deduci juſſit, ut in Libertate eæ civitates eſſent. Nam ſi à præſidiis Romanis liberatæ non fuiſſent, ſervæ manſiſſent, nec ſociorum amicorumve confœderatione æquali habitæ.* Atque alibi, idem auctor; ſive, lib. 43. *Quidam*, (inquit) *Principatum poſtulare, ut præſidia in urbes ſuas deducerentur; adverſus amicitiam eorum, qui ad Macedonicam gentem trahebantur. Pars recuſare, ne quod bello captis, & ab hoſtibus mos eſſet, id pacatæ ac ſociæ civitates acciperent.* Secus interim ſtatuendum eſt, ſi præſidia fuerint admiſſa, aut pro commodiori tuitione duntaxat, aut vi mutui federis, velut auxilia ſociorum. At, amplius *tertio* quæritur, quid fuerit ſtatuendum, de populis, quos jam antea veluti Barbaros notavimus? An ſcil. iis non ſit concedenda ulla libertas, propterea, quod Regibus ſuis ſupremam poteſtatem, imo omnia, etiam ad ſui abdicationem, ſi non ignominiam pariter, deferre conſueverint? Hic diſtinguendum: vel enim ſubditi ejuſmodi, videntur Regem ſuum ſerviliter colere, præjudicando ſuæ libertati, dum tribuunt illi omnia jura, quæ ſuperior aliquis arrogare ſibi poſſet, in populum (Theſi proxima fuſius hoc deducetur) armis ſubactum: vel, hoc faciunt duntaxat in ſpeciem, per modum potius adulationis, quam ſubjectionis. Priori caſu, Libertas non modo læſa, ſed & proſcripta cenſeri debet, propter ſubjectionem, citra vindicationem juris; haud æque vero, poſteriori caſu. Nam hic occurrit

quod

quod Artabanus Themiſtocli dicebat, cum Perſarum Regem, ſervilem in modum coli ſolitum, adorare (more apud Orientales populos recepto) detrectaret. Plutarchus per interpretem hanc, illius quaſi orationem, exhibet: *Laudabile eſt, Themiſtocles, ſuum cujuſque gentis inſtitutum. Vos Græci Libertatem, & imperij æquationem amplexari conſuevistis; nos vero nihil tam naturæ conveniens eſſe duximus, nihil tamen decorum, quam Regis noſtri majeſtatem, ut Dei Opt. Max. veram in terris imaginem adorare & venerari.* Præterea *quarto* moveri hic poſſet quæſtio, an populus, devictus licet, libertatem, de qua loquimur, per præſcriptionem, ſeu privilegium quoque tacitum illorum, quibus ſubeſt, recuperare poſſit? Ita quidem putarim: imaginem hujus rei invenio apud Plinium lib. 10. ep. 47. *Cum Appaneæ vellem* (inquit) *reditus cognoſcere, reſpondebant, habuiſſe privilegium, ac vetuſtiſſimum morem, arbitrio ſuo remp. adminiſtrandi.* Atque hæc libertas, ſemel juſte acquiſita, aut recuperata, non videtur poſſe reſcindi, quod probari quoque poſſe videtur arg. l. 31. ff. de Minor. ne, ſi prætexatur populum, qui in libertatem ſe aſſeruit, antea obſequium detrectaſſe. *Nam ſolo obſequij non præſtiti velamento, data libertas reſcindi non poteſt*, ut recte reſcripſerunt Impp. in l. 30. Cod. de liber. cauſ. *Quinto* ſeu poſtremo, hoc quoque controverti ſolet, an requiratur, ut ampla ſit atque potens illa reſp. cui libertas concedenda fuerit? Supra Th. 12. cum conſideraremus Majeſtatem, oſtendimus eam agnoſci quoque poſſe in regno anguſto: idem pronunciandum eſt de libertate. Reſp. Lucenſis, aut Genevenſis, ut ut anguſta, æque libera cenſeri debet, atque ampliſſima Veneta. Atque hic cogitandum perpetuo illud:

Nihil coloſſo demit aut addit baſis.
Nihil cothurnus adjuvat nani ſtatum.

Plus enim & minus ſecundum Logicos, non mutant rerum genera. Ex magnitudine terræ, ſive territorij materialis ſpatio, ſi libertas, ſummave poteſtas, metienda veniret, præter Regem Hiſpanorum, Turcicum Imp. Presbyterum Johannem, ac ſimiles

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

miles Principes, maxima terrarum regna poſſidentes, nemo liber foret, cujus rei partes ſuſtinere, ne quidem per ſomnium vir prudens cogitaverit.

LXIII. Hæc libertas, ut & Majeſtas eidem cohærens, ſecura quidem eſt præſcriptionis, (inde diximus non modo eſſe poteſtatem *ſupremam*, verum etiam *perpetuam*, cujus ulterior explicatio petatur ex Th. 8.) non tamen extinctionis. Nam *primo*, jure belli ut populus ſæpe ſubjicitur, ita & libertate ſua mulctatur. Receptum enim uſu, ut victis à victoribus leges dentur, cum miſerabilis ſubjectionis paſſivæ, nullæ aliæ partes ſint, quam imperantibus obedire, & eos ſævientes extimeſcere. Hinc Chryſologus Serm. 41. notabiliter ait: *Quidquid dominus indebite, iracunde, libens, nolens, cogitans, ſciens, neſcius, circa ſubjectum fecerit, judicium, juſtitia, lex eſt.* Ita ut vulgò, atque pro more ſeculi, ſe ſoliti componere ad conſuetudinem, imperantis ira, ſubditis jus ſit, & ad libitum domini pertineat conditio ſervitutis, vel ſervientis. Quod ſane quanquam durum videtur, ſæpe tamen prodeſt iis, qui libertate ſua uti convenienter neſciverunt. Nam ſervitus hæc juſta eſt, quæ & ſervientibus eſt utilis. *Principatu Coſmi* (inquit Bodinus lib 4. de Rep. cap. 1.) *nihil magis ſalutare ſeditioſiſſimæ civitati ab immortali Deo optari potuiſſet.* Notat idem in Politicis Lipſius, & nemo non veriſſimum videt. Inde Cratippus ſic diſſerebat, apud Plutarchum in vita Pompeij, Pompeio in fuga Pharſalica, deque providentia ſuorum Deorum conquerenti, opus fuiſſe Romæ principatu unius, propter perverſam rempublicam. Victores aliquando hic clementiam exercent. Nam ut Seneca dicit lib. 2. de Clem. *Et clementia vel dimittet hoſtes ſalvos, aliquando etiam laudatos, ſi honeſtis cauſſis pro fide, pro fœdere, pro libertate in bellum accincti ſunt.* Quomodo & legas apud Cæſarem: *pro quibus meritis, civitatem immunem eſſe iuſſerat, jura legeſque reddiderat.* Et alibi Livius: *Ibi pro tribunali de ſententia conſilij* S. P. Q. R. *Illyrios eſſe liberos jubere; Præſidia ex omnibus oppidis, arcibus & caſtellis ſeſe deducturum: Non ſolum liberos, ſed etiam immu-*

nes

ues fore Iſenſes & Taulantios, quod incolumi Gentio, ad Romanos defeciſſent. Daorceis quoque immunitatem dare, quod relicto Caravantio, cum armis ad Romanos tranſiſſent. Cæterum hic cautela opus eſt. Nam apud eundem Livium lib. 39. lego, quod *nullius rei minus diuturna gratia ſit, quam libertatis: præſertim apud eos, qui male utendo eandem corrupturi ſunt.* Porro Libertas, & pariter quoque Majeſtas abſolute conſiderata, *ſecundo* extinguitur, aut ex parte, aut aliquando etiam omnimodo, ſi populus ſuſpectans alterius populi potentiam, ultro ſe ei ſubmittat, ne, victus ſi fuerit, cum libertate pariter vitam amittat: exemplum illuſtre habemus in Gabionitis Joſ. 9. Alias, ut per varia exempla doceri poſſet, multi populi inteſtinis diſſentionibus, exterarum gentium bellis fatigati, vel etiam ſoli paterni inopia laborantes, ſeſe liberrimè abſque ulla conventione alterius poteſtati ſubjiciunt. Unde Cicero pro lege Manilia: *Nunc imperij ſplendor in illis gentibus lucet. Nunc intelligunt non ſine cauſa majores ſuos tum, cum hac temperantia magiſtratus habebamus, ſervire populo Romano, quam imperare aliis maluiſſe.* Quod vero ad Majeſtatem delegatam, ubi ea vi ſucceſſionis citra factum quoque populi transfertur, non tamen eo delibatur populi libertas: Nam in imperiis probe conſtitutis, nemo ſive Rex, ſive Princeps ſuccedit, niſi ſub hac cautela, ut populi cauſa, jura, leges imperij, privilegiaque omnia, fidei juramento confirmare teneatur, in manibus eorum, qui niſi imperium ad Principem ſucceſſione delaberetur, Reipublicæ habenas, ut populus pro populo, ſuſtinuiſſent. Atque hoc ita ſe habere, ulterius liquere poterit, tum ex definitione Majeſtatis ut delegatæ, tum etiam ex ajunctis, ſeu effectis Majeſtatis indefinite conſideratæ.

LXIV. Ergo, quod ad Majeſtatem delegatam, ea competit illis, qui conſtituuntur executores eorum, quæ pertinent ad Majeſtatem abſolute ſic dictam, atque ad illa, in quibus hæc ſuperioritatem ſuam exercere ſolet; aut, uno verbo competit Magiſtratibus; eoque, nos ſupra Th. 5. corrigentes Bodinum

 diceba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

dicebamus, quod ſit, *ſumma Magiſtratuum ſuperiorum in cives ac ſubditos poteſtas.* Neutiquam potuimus addere, hanc poteſtatem, ſive *legibus ſolutam* eſſe; (ut vult Bodinus) ſive etiam, nullis *legibus ſuperioris alicujus ſubjectam.* Ut enim patet ex illis, quæ hactenus fuſe à nobis diſputata & deducta ſunt, in omni imperio bene conſtituto, cujuſcunque ſtatus quoque fuerit, (Barbaricum aliquoties ſubmovimus) populus perpetuo major & ſuperior manet ſuis Magiſtratibus; nec Majeſtas abſolute conſiderata confundi poteſt cum eadem, ut delegata: multo minus cum exercitio ejuſdem, quod à ſimplici etiam delegatione diſtinguendum eſt. Cæterum deſcriptio, quam tum nobis ſufficere dicebamus, propter illa, quæ deducta ſunt, & ea, quæ poſtmodum ulterius dicenda erunt de adjunctis, ſeu effectis Majeſtatis, magis limitari debet. Ergo delegata Majeſtas eſt: *Summa Magiſtratuum ſuperiorum in cives ac ſubditos poteſtas, conceſſa à Deo per illos, penes quos Majeſtas abſoluta eſt, ſecundum certas leges, & ſecundum certum modum.* Cuncta, quæ in hac deſcriptione occurrunt, ex præcedentibus patent, ſi poſtrema verba, *& ſecundum certum modum* excipias. Illa vero neceſſario addi debuerunt, quod non omnia adjuncta Majeſtatis aut per delegationem concedi poſſint, aut etiam ſoleant; prout ex ſubſequentibus liquido colligi poterit. Lipſius lib. 2. Civil. Doct. cap. 16. aliam ab hac definitionem proponit, quæ ut intelligi poſſit, proponam integrum locum, *qui ita habet*: Sed Modeſtiam tamen ita commendo Principi, ut non ſpernam ab eo Majeſtatem. Hæc eſt, *Reverenda quædam amplitudo, ob meritum virtutis, aut rerum adfinium.* Græcis ea Σεμνότης dicta: nobis, in privato Auctoritas, in Principe Majeſtas. Acre ea telum ad imperium: quoniam & in pace. *Hæc Lipſius;* ad cujus verba, & connexum hujus capitis cum præcedentibus & ſubſequentibus, ſiquis diligentius aliquanto attenderit, videbit virum ſummum, Majeſtatem hic conſideraſſe ut perſonalem, eamq; commendare non modo ut Imperantium dotem, verum etiam ut neceſſariam eorundem virtutem. Quam vero

hæc

hæc ipſa ſit neceſſaria, ad tuendum decus Majeſtatis delegatæ, ſub finem hujus Diſſertationis convenienter docebitur. Quoniam vero Majeſtatem hanc delegatam, diximus competere proprie Magiſtratibus ſuperioribus, atque nomen Magiſtratus inſignem circa ſe habeat difficultatem, confitente ipſo Ariſtotele lib 4. Polit cap. 4. quo omnia liquidiora ſint, & illuſtrari etiam poſſint illa, quæ ſupra Th. 5. dixi, non abs re fuerit, diſtincte quædam circa nomen hoc notaſſe. Ergo Magiſtratus ſic dicti ſunt, ſecundum Bodinum lib. 3. de Rep. cap. 3. quod ſint civium Magiſtri, ſive moderatores civium & rectores civitatis. Feſtus nomen hoc derivat à *Magiſtrate*, quod ei idem *atque regere, temperare, moderari.* A Magiſtris quos pariter à *magiſtrando* dictos eſſe contendit Feſtus, *Magiſtratus* nomen habere vult IC. Paulus, quando ſic loquitur leg. 57. ff. de V. S. *Quibus præcipua rerum cura incumbit, & qui magis quam cæteri diligentiam & ſollicitudinem rebus, quibus præſunt, debent, hi magiſtri appellantur: quin etiam ipſi Magiſtratus, per derivationem à magiſtris cognominantur.* Alias Magiſtratus Latinis dicitur Magiſterium. Onomaſticum Vetus: *Magiſterium* ἀρχὴ Symmach. lib. 4. ep. 45. agens de Cenſore: *Graviſſimum ordinem magiſterium reſpuiſſe* dicit. & Apuleius lib. 1. de Aſ. aur. *Quemadmodum ſub meo magiſterio mali debeant coërceri.* Sic apud Sueton. lib. 2. cap. 2. *avus* Auguſti dicitur *contentus* ſuiſſe *municipalibus magiſteriis.* In editis quibuſdam perperam legitur *miniſteriis.* Similiter paſſim in Codice occurrit *Magiſteria poteſtas*, & apud Suidam μαγιςερία ἀρχή. Utrumque vocabulum ſumitur & abſtracte & concrete. Unde eleganter in eodem Onomaſtico *Magiſtratus* redditur ἄρχων, & ἀρχή. Illo modo notat eminentiorem poteſtatem Politicam, antea à nobis definitam; hoc vero modo hominem tali poteſtate præditum. Exempla ubique ſunt obvia. Pariter in N. T. ἐξȣσία ſignat imperium Luc. 20. 20. & Luc. 22. 35. atque hominem tali poteſtate præditum, Rom. 13 1. Major eſt difficultas de ſignificatione Magiſtratus, unde & ipſe Ariſtoteles dicit l. d. *Neque vero facile eſt definire, qui*

magiſtratus dicendi ſunt: multis namque præfectis opus habet civilis ſocietas. Imo Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 2. pronunciat neminem recte Magiſtratum definiviſſe, atque ſimul arguit non modo definitiones Cuiacij & Goveani, verum etiam ipſius Ariſtotelis. Ne vero nobis hic contingat errare cum multis, notamus nomen Magiſtratus ſumi vel latiſſime, vel medio modo, vel ſtricte. Propriæ notationis, ipſo Philoſopho fatente meminiſſe non poſſumus, tum ob diverſa rerumpubl. variarum ſtatuta, tum etiam ob diſſenſum antiquorum authorum. Quando ergo late accipitur hoc nomen ſignificat omnem illum, cui cura politica Civitatis commiſſa eſt. Atque hæc ipſa latiſſima notatio excludit Eccleſiæ antiſtites & miniſtros: docente hoc ipſo Ariſtotele l. d. & iterum lib. 6. Polit. cap. ult. Cicerone in libro de LL. paſſim, itemque Iſocrate ad Demonicum. Atque hinc Modeſtinus Ic. l. un. §. 1. ad Leg. Juliam de Ambitu, ex ſerte diſtinguit *magiſtratum, à ſacerdotio.* quanquam non ignoro Florum in epit. lib. 47. Livij, meminiſſe *ſacrorum magiſtratuum*, quando dicit: *Cn. Tremellio tribuno plebis mulcta dicta eſt, quod cum M. Æmilio Lepido pontifice maximo injurioſe contenderat: Sacrorumque magiſtratuum jus potentius fuit.* Sed, nomen Magiſtratus ibi improprie accipitur. Alias verum eſt illud veteris Theologi, apud Suidam Grammaticum: πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, συγκλώθειν ἐστι τὰ ἀσύγκλωστα. Ut vero latior hæc notatio excludit Eccleſiaſticos, ita non æque Regem aut Principem. Nam & hi, ad Magiſtratus, hominum bono á Deo ordinatos, pertinent. Docente Apoſtolo Petro 1. ep. 2. 13. *Subjecti eſtote* (inquit) *cuivis humanæ ordinationi propter Dominum: ſive regi, ut ſupereminenti: ſive præſidibus, ut qui per eum mittuntur.* Secundum latam hanc notationem, munus Magiſtratus non inconvenienter adumbrat Cicero lib. 1. de Off. *Eſt proprium* (inquit) *munus magiſtratus, intelligere ſe gerere perſonam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus ſuſtinere, ſervare leges, jura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.* Quod vero non minus hoc à ſagatis quam togatis fieret, in ordine militari quoque Magiſtratus

agnoſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

agnoſcebantur, qui à Libanio Orat. de Patrociniis eleganter vocantur ἄρχοντες δυνάμεων: atque olim in militia Romana duplices agnoſcebantur, quidam ſummæ rei præerant, veluti poſteriori ævo Magiſtri militum, Duces, Comites; alij vero ſub his conſtituti, ut Tribuni, Officiales Comitum, aliique, commemorati leg. 1. 3. 4. Cod. Th. de patrocin. vicor. Medio ſeu ſecundo modo ſi Magiſtratus vocabulum accipiatur, non poteſt Princeps, ceu Rex, qui in republ. unus omnia poteſt, Magiſtratus cenſeri. Eoque ſe extendit aut ad moderatores Ariſtocratici & Democratici imperij, aut ad eos, quibus imperium à principe committitur. Quo vero Magiſtratuum hoc modo conſideratorum ratio in aperto ſit, velim ante omnia obſervari illa, quæ habet doctiſſimus Albericus Gentilis lib. 2. de Juriſdict. cap. 2. ſic vero loquitur Ic. *ſummus*: Magiſtratum (*inquit*) aliter definiet Ic. aliter Politicus. Politices pars eſt Juriſprudentia. Quare magiſtratum definiet Politicus ſcil. accuratius, & pro amplitudine ſcientiæ ſuæ, Ic. itidem pro modo diſciplinæ ſuæ. Tria ſunt quæ Ariſtoteles Magiſtratui, tanquam propria attribuit: Imperare, conſulere, judicare. Ex his velut partibus Ic. in definiendo magiſtratu, deliget illam unam, quæ ad judicia pertinet. Sed quia Juriſdictio ſine imperio ridicula & nullius momenti eſt, l. ult. ff. de offic. ejus. c. paſtoralis. ext. de off. deleg. addet etiam imperium quod ad juriſdictionem exequendam ac tuendam neceſſarium eſt. Hinc factum eſt, ut Icc. veteres, magiſtratus poteſtatem nunc juriſdictionem, nunc imperium vocent, & pro eodem ſæpe uſurpent. ſicut in l. cum prætor. §. 1. ff. de Judic. Paulus ait, *magiſtratus populi Romani propter vim imperij judicem dare poſſe*, quod eſt proprium juriſdictionis l. 1. l. 3. ff. de Juriſd. Quare ut nullus magiſtratus eſt, qui juriſdictione omni careat, ſic etiam nullus qui omni imperio, ut bene ſcriptum eſt à doctiſſimo Sigonio lib. 3. de jure provinc. *Hactenus Gentilis*. Quæret quis, quomodo hæc poſtrema viri egregij verba conciliari queant, cum illis quæ ſupra Th. 5. pag. 9. docuimus? Videmur enim ibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Icc. Romanis demonſtraſſe, quoſdam Magiſtratus caruiſſe imperio. Nihil etiam certius eſt: quod ut nos ibid. convenienter expoſuimus, per imperium intelligendo jus Majeſtatis, ita hactenus ὁμόψηφος nobis eſt Gentilis, qui l. d. ex Gellio lib. 13. cap. 12. recte oſtendit in his & ſimilibus Juris textib. ubi quibuſdam Magiſtratibus imperium negatur, per illud (Juridice explicat, quod nos antea expoſuimus Politice) intelligendum eſſe imperium eminenter ita dictum, quod maxime elucebat in vocatione, præhenſione, coërcitione carceris, & verberum. Quale imperium ut Romæ ſolummodo majoribus magiſtratibus conveniebat, ita in iiſdem notatam quoque fuiſſe Majeſtatem, abunde jam antea evicimus. Sed miſſis Icc. convenienter a nobis ab Ariſtotele adumbratus videtur per definitionem Magiſtratus, quando lib. 4. Polit. cap. 15. ita *per interpretem loquitur:* Ut autem ſimpliciter (*inquit*) dicam, hi maxime dicendi ſunt magiſtratus, quibus jus eſt de quibuſdam & deliberandi, & judicandi, & imperandi, hocque maxime: imperare namque magiſtratus eſt maxime proprium. *Hæc ille.* Cum quibus verbis ſi conjunxeris præcedentia, quibus, Magiſtratus dicit eſſe *præfectos* (τοὺς ἐπιστάτας) *publicæ ſocietatis*; elicere poteris perfectam definitionem, ut ut more ſolito contra Ariſtotelem tumultuetur Bodinus lib. 3. de Rep. cap. 2. & 3. Philoſophum egregie & ſolide vindicante Fabio Albergato in eruditiſſimis diſcurſibus Politicis, Italice ſcriptis. Quum vero Philoſophus, potiſſimum ad Magiſtratum dicat pertinere *imperium*, ſeu τὸ ἐπιτάττειν quod Gloſſographus explicat per *imperare*, (nomen imperij latius accipiendo) videtur proprius Magiſtratuum titulus eſſe, ut vocentur οἱ κράτιστοι. Sic legas in iiſdem Gloſſis κράτιστοι, *Optimates.* κράτος, *hoc imperium.* Quomodo etiam apud Romanos Candidati, boni viri (teſte Seneca ep. 3.) & Magiſtratum adepti, optimates olim dicti fuerunt, obſervante Baronio Tom. 1. Ann. anno Chriſti 58. ſect. 33. Atque hinc κράτιστοι ſalutabantur quoque Præſides Romani, ut Felix Act. 23. 26. & Feſtus, cap. 26. 25. Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Quanquam non ignoro, apud Plut. lib. de in virt. profic. & alibi, κράτιϛον τῷ κακίϛῳ opponi. Supereſt tertia, ſeu ſtrictiſſima Magiſtratus notatio, Icc. nota, qua apud Romanos ſoli illi Magiſtratus cenſebantur, qui in urbe jus dicebant, quomodo expreſſe Ulpianus in fine l. 131. ff. de V. S. Magiſtratus *à præſidibus provinciarum* diſtinguit. Alias apud eoſdem Romanos Magiſtratus & judices iidem cenſeri ſolent. Quo pertinet illud Quintiliani Declam. 13. *Nos ideo* (inquit) *magiſtratus legeſque à majoribus noſtris accepimus, ne ſui quiſque doloris judex ſit: & aſſiduæ ſcelerum cauſſæ ſe refellant, ſi ultio crimen imitabitur.* Ex iis, quæ dicta ſunt, quivis facile videt, præſenti inſtituto noſtro ſolummodo convenire primam Magiſtratus ſignificationem, quum Rex, & Princeps nobis quoque & aliis Politicis, Magiſtratus ſit. Magiſtratus hos vocamus ſupremos, ut inferiores ſubmoveamus, (ab Ariſtotele loco dicto vocantur ἀρχαὶ κυρίαι) in quibus nulli Majeſtatis radij elucent: quique relati ad ſuperiores, quaſi privati ſunt. Hinc intelligi poteſt illud Ciceronis Orat. Verr. 2. *Erat tum* (inquit) *Conſul Hortenſius, cum ſummo imperio & poteſtate: ego autem ædilis, hoc eſt, populo amplius quam privatus.* atque ſic jure loqui potuit Cicero, componendo Conſulem cum Ædili, nam *conſulatus* eſt *potiſſimus Magiſtratus*, ut egregie dicit Sidon. Apoll. lib. 2. ep. 3.

LXV. Ex ordine ergo proxime accedamus, ad effectus Majeſtatis, (quæ à quibuſdam Majeſtatis adjuncta vocantur) quod vero antea toties inculcavimus, diligenter obſervari volumus, nempe populi Majeſtatem, (ſeu Majeſtatem abſolute ſic dictam, quæ non niſi populo competere poteſt) non eſſe confundendam cum Majeſtate delegata, eaque, quæ in certum aliquem hominem ſigillatim, ut in Imperio Monarchico, aut plures quoque conjunctim, prout videre eſt in Imperio Ariſtocratico & Democratico, delata eſt. Quo fundamento iterum jacto, eodem quoque modo adjuncta hæc expendemus: atque enumerabimus non modo, ſed diſtincte quoque conſiderabimus hæc jura, ut

unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

unumquodque primo ſecundum Majeſtatem indefinite conſideratam, ſimus examinaturi, & deinde eadem conjunctim tum ſecundum rationem delegationis, tum etiam ſecundum Exercitium. Atque initio non placet diſtinctio, licet apud Politicos quam recepta ſit, ſecundum quam hæc adjuncta (alias vocantur *jura Majeſtatis*, item *jura imperiis*, nec non *Regalia*, ſeu βασιλικά, quod ſine iis regnum conſiſtere non poſſit, ſed minus commode, ut infra liquebit) diſtingui ſolent in Majora & Minora jura Majeſtatis. Quotquot enim hanc diſtinctionem proponunt & tuentur, committunt contradictionem in adjecto; quum enim Majeſtas ſit agnoſcenda ſuprema poteſtas, quomodo illius quædam poſſunt eſſe Minora jura? Præterea non diſtinguunt inter Majeſtatis jura, & eorundem exercitium, inter quæ tamen plurimum intereſt, ut infra liquebit. Quid quod, quæ vulgo Minora jura ſtatuuntur revera ſint Majora, nec hactenus adhuc conveniat inter Politicos Doctores, quænam differentia intercedat inter Majora & Minora jura. Ne jam dicam eos ad Minora referre, quæ revera ſunt Majora, atque vice verſa.

LXVI. Ut ergo hæc omnia jura Majeſtatis ſunt Majora, imo Maxima, & ſuprema: Sic inter illa quoque ordo intercedit, quædam enim talia ſunt, ut non poſſint ſalva republ. abſolute alicui perſonæ delegari, quædam delegari poſſunt. Inter illa primos ordines ducit νομοθεσία, ſive, jus ferendi legem, abſque Superioris alicujus reſpectu, quæ univerſos, atque ſingulos reſpiciat. Appoſite Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 10. pag. 240. *Hoc primum* (inquit) *ſit ac præcipuum caput Majeſtatis; legem univerſis ac ſingulis civibus darè poſſe. neque tamen id ſatis eſt, ſed id fiat oportet ſine ſuperiorum, aut æqualium, aut inferiorum neceſſario conſenſu: nam qui neceſſarius eſt Superiorum in ferenda lege conſenſus, hunc revera ſubditum fateri neceſſe eſt: ſi æqualium, imperij ſocios habere: ſi inferiorum, ſeu Senatus, ſeu populi, ſupremo imperio vacare.* Nec aliter quoque fieri poteſt, quum nulla poteſtas civilis abſque LL. ſubſiſtere poſſit. Ut enim egregie dicit Juriſconſultus Modeſtinus l. 7. ff. de Leg.

de Leg. *Legis virtus hac eſt, imperare, vetare, permittere, punire.* Atque, hoc jus primario & principaliter convenit ipſi Populo: unde lex definitur ab Ariſtotele lib. 1. Rhet. ad Alexand. λόγος ὡρισμένος καθ᾽ ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως: *Oratio communi conſenſu civitatis definita.* quod etiam manifeſto (ne alia imperia jam ſollicitem) in imperio Romano elucet. Nam, ut vel ex ſolo Gellio patet lib. 10. Noct. Att. cap. 20. ibidem, non minus leges quam plebiſcita olim, quaſi per quandam ſtipulationem Magiſtratuum cum populo, perficiebantur. Rogabat enim Magiſtratus Popupulum, aut plebem; [ut jam innuimus Th. 5.] *vellet, juberetve,* Legem, vel Plebiſcitum ita fieri? Quæ rogatio non inconcinne à Gellio l. d. omnium legum cenſetur *caput ipſum, & origo, & quaſi fons.* Atque, ſi Populus, vel Plebs reſponderet, *Volumus jubemuſque,* Lex rata erat. Hinc valde eleganter à Papiniano leg. 1. ff. de LL. lex dicitur eſſe, *communis reip. ſponſio.* Hoc enim licet ſecundum quaſcunque reſp. obſervari poſſit, præcipue tamen valet ratione Reip. Rom. Non diffitendum eſt, mutatam fuiſſe faciem Romanæ Reip. ſub Principibus: maxime, quum ratione Legum, æque atq; Candidatorum, valeret illud Taciti lib. 1. Ann. cap. 15. *Tum primum Comitia è Campo ad Patres tranſlata ſunt. nam ad eam diem etſi potiſſima arbitrio Principis, quædam tamen ſtudiis tribuum fiebant: neque populus ademptum jus queſtus eſt, niſi inani rumore: & Senatus largitionibus ac precibus ſordidis ex ſolutus, libens tenuit, moderante Tiberio,* &c. Ab hoc enim tempore Principes arrogare ſibi inſtituerunt, oſcitante interim Populo (de Lege Regia, per quam hæc omnia admiſſa fuiſſe cenſentur, ſupra opinionem noſtram aliquoties propoſuimus) jus ferendarum Legum: & ratione Juris Romani invaluit illud, quod dicitur Inſtit. de I. N. G. & C. §. 9. *Sed & quod principi placuit legis habuit vigorem, quum lege Regia, quæ de ejus imperio lata eſt, populus ei, & in eum omne imperium ſuum & poteſtatem concedat. Quodcunque ergo Imperator* per epiſtolam *conſtituit, vel cognoſcens decrevit, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat; hæc ſunt, quæ constitutiones appellantur.* Obſervatum ab aliis

Imp. poſt Ulpianum, mentionem facere *legis vigoris*, & non dicere legem. Adeo civiles enim fuerunt Principes, ut licet omnia poſſent, non tamen voluerint omnia facere, ne quam publicam offenſam incurrerent. Unde, nec ullam Legem ut Legem, ſic ipſi tulerunt, ut voluerint illi nomen ſuum præſcribere; atque Auguſtus leges Julias maluit denominari à D. Julio Cæſare Patre ſuo adoptivo, quam, ſuum uſurpando nomen, invidiam concitare. Interim lubens fateor, vere dixiſſe de ipſo quoque Auguſto Tacitum lib. 1. Ann. cap. 2. *Inſurgere paulatim, munia Senatus, magiſtratuum, Legum in ſe trahere nullo adverſante*: atque poſteriores Principes, per vim & dolum jure ſuo populum exuiſſe. Uſque adeo ut non dubitet Imp. Juſtinianus ſic loqui in leg. 12. Cod. de LL. *Si imperialis majeſtas cauſam cognitionaliter examinaverit & partibus comminus conſtitutis ſententiam dixerit: omnes omnino judices, qui ſub noſtro imperio ſunt, ſciant hanc eſſe legem non ſolum illi cauſæ, pro qua producta eſt, ſed & omnibus ſimilibus. Quid enim majus, quid ſanctius imperiali eſt majeſtate? vel quis tantæ ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt, ut regalem ſenſum contemnat, cum & veteris juris conditores conſtitutiones, quæ ex imperiali decreto proceſſerunt, legis vim obtinere, aperte dilucideque definiant.* Sed, an Imperator Romanus hodie jus habet ferendarum legum? Ut patet ex antecedentibus hic reſpici leges univerſales, quæ ferantur citra conſenſum Superiorum, ſic non videtur tantum illi concedendum eſſe, (quicquid aliis videatur) ob illa, quæ cum ratione diſputat Hippolithus à Lapide de ratione Status in imperio part. 1. cap. 6. ſect. 1. *ſic loquens*: Hinc, ſi quod placitum ſanctionis publicæ vim & effectum habere debet, inter alia requiritur, ut 1. deliberatio non in Aula Principis, ſed in Conſilio Imperij inſtituatur, & quæ aguntur, ad Acta ac Protocolla imperij referantur. 2. Decretum, non in Cæſarea vel Regia, ſed Moguntinenſi, tanquam Sacri Imperij Romani Archi Cancellaria concipiatur. 3. Non ſolius Cæſaris, ſed junctim, Cæſaris & Ordinum nomine. 4. À Cancellaria Moguntina in mundum redigatur, & à Statibus præſentibus, ab-

ſentium-

ſentiumve Legatis ſubſcribatur. Porro 5. non à Cæſare modo, ſed certis Ordinibus, omnium Ordinum nomine ſignetur. *Hæc ille*, quæ hactenus à nemine adhuc ſolide refutata vidi. Alias non eſt diffitendum, Regi Galliarum in Coronatione per delegatam Majeſtatē conſueviſſe juris quid circa νομοθεσίαν deferri, atq; non refragante quoque populo, ab eodem uſurpari. Inde notat Bodinus lib. 1. de Republ. cap. 8. in calce omnium Legum & Edictorum, conſueviſſe hanc clauſulam ſubjici: *Quia ſic nobis placuit*: Ut ab omnibus intelligatur, Leges, tametſi juſtas, ab unius Regis voluntate pendere. Sed hic ipſe Rex Galliarum, quibus favent conſuetudo & tolerantia ſubditorum, ſæpe venire ſolet in Parlamentum Pariſinum, & non minus ſuorum Arreſtorum, quam Edictorum petere confirmationem. Quo fine nolo, jam inquirere, quod odioſum ſit. Interim non putarim, hoc *dicis* duntaxat cauſſa fieri.

LXVII. Quicunque vero habet jus ferendi legem, etiam jus habet eandem interpretandi: juxta illa, quæ nos antea docuit Juſtinianus l. ult. Cod. de Leg. Atque huc pertinet illud Symmachi, Auguſtorum adulatoris maximi dictum, lib. 10. ep. 40. *Operior, quid deliberatio Auguſta conſtituat, cui ſoli fas eſt de ſcitis Divalibus judicare.* Et alibi: *Nos venerari potius, quam interpretari oracula Divina conſuevimus.* Quod uſque adeo verum eſt, ut Princeps, (cujus pleræque Conſtitutiones erant reſcripta, explicationi legum ſervientia, ratione caſuum, qui obvenerant, atque expreſſis Legis verbis non decidebantur) crederetur legem interpretari, & quam clare loqui, quoties per epiſtolam ad propoſitum caſum reſponderet. Huc pertinet illud Philoſtrati in Epiſtola ad Aſpaſium: Αὐτοκράτωρ γὰρ ὁπότε ἐπιστέλλοι, οὐ δεῖ ἐνθυμημάτων οὐδ' ἐπιχειρήσεως, ἀλλὰ δόξης. οὐδ' αὖ ἀσαφείας, ἐπειδὰν νόμους φθέγγεται. σαφήνεια δ' ἑρμηνεὺς νόμου. *Imperator quoties epiſtolas ſcribit, non opus habet enthymematis, aut argumentationibus, ſed ſenſu expreſſo. neque obſcuritate: legem enim enunciat: perſpicuitas autem legis eſt interpres.* Similiter ille, qui jus ferendi legem habet, eandem pariter ab-

rogare poteſt: imo poteſt certis quoque hominibus privilegia concedere, ne Legibus à ſe latis, teneantur. Quo reſpicit Imperator, quando, ratione Conſtitutionis Principum, l. d. dicit: *Plane ex his* (Conſtitutionibus) *quædam ſunt perſonales, quæ nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc Princeps vult. nam quod alicui ob meritum indulſit, vel ſi quam pœnam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit: perſonam non egreditur.* Hæ Leges Perſonales, ſunt Privilegia, quæ cum Statu ſuo antiqui Romani non exiſtimarunt poſſe ſubſiſtere. Eoque per LL. XII. Tabularum nulla Privilegia admiſſa erant. Teſtis Cicero Orat. pro Domo ſua ſic *loquens*: Vetant leges ſacratæ, vetant XII. Tabulæ, leges privis hominibus irrogari: Id eſt enim PRIVILEGIUM. Nemo unquam tulit, nihil eſt crudelius, nihil pernicioſius, nihil quod minus hæc civitas ferre poſſit. *Hac Cicero.* quæ lex deſumpta fuit ex LL. Atticis Solonis, ut conſtat ex Oratione Demoſth. contra Ariſtocratem.

LXVIII. Ut vero hæc Legiſlatoria poteſtas arguit ratione non minus delegantis, quam illius quoque, cui delegata eſt, ſummam poteſtatem, propterea legiſlatores non tam hortari ſolent ſibi ſubjectos ad obſequium, quam jubere. Egregie Seneca ep. 94. *Legem brevem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emiſſa divinitus vox ſit. Iubeat non diſputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo.* Item Diod. Siculus lib. I. cap. 2. *Legum ſanctio coërceat, non doceat. neque enim* (ait Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagianos) *in lege ratio quæritur, ſed authoritas.* Ita & Cicero lib. 3. de Nat. Deorum: *A te Philoſopho rationem accipere debeo, majoribus autem noſtris, etiam nulla ratione reddita, credere.* Hinc eſt, quod poteſtates nolint quemquam ſuas leges interpretari, ſed exequi; imò dominantes, quique per vim imperium, & cum eo legiſlatoriam poteſtatem arripuerunt, legem illam, præ aliis æſtimare ſolent, non quæ optima, ſed cujus vis maxima ſit, unde & optimum cenſere illum ſolent, qui eſt fortiſſimus. Atque ſic Alexander dicebat τῷ ἀρίστῳ

impe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

imperium ſe relinquere apud Diodorum Siculum lib. 18. cap. 1. Quod ſic expreſſit Curtius lib. 10. cap. 5. *Et relinquere ſe regnum qui eſſet optimus*. Minus convenienter Juſtinus lib. 12. cap. 15. *Cum deficere eum amici viderent, quærunt*, quem imperij faciat heredem: Reſpondit, *Digniſſimum*. Omnium optime Arrianus lib. 7. ἀναβ. ἐρέσθαι μὲν τοὺς ἑτέρους αὐτὸν, ὅτῳ τὴν βασιλείαν ἀπολείπει, τὸ δὲ ἀποκρίνασθαι, ὅτι τῷ κρατίστῳ. Hoc eſt, *potentiſſimo*. Et revera hoc vult quoque nomen ἀρίστου. Gloſſ. ἀριστεύω, *Fortiter ago*. Hermogenes Rhetor: Ἀριστεὺς, ὁ ἐν πολέμῳ νικῶν. Sic & Moſcopulus ἀριστεῖον interpretatur, *præmium ob victoriam datum*: & ἀριστεύω, per τὸ ἀνδραγαθῶ, hoc eſt, *viriliter ago*. Commode admodum: nam ἄριστος eſt ab Ἄρης, atque proprie is eſt, qui Marte præſtantiſſimus, Sic apud Latinos bonus, & optimus quoque uſurpantur. Cic. lib. 4. ep. 9. *Nihil miſerius quam ipſa victoria, quæ etſi ad meliores veniat, tum eos impotentes reddit*: ubi *meliores* vocat malos viros & impotentes, quia lacertis ſolis fortiores ſunt. Hor. lib. 1. od. 15. *Tydides melior patre*. Salluſt. Jugurth. *Optimus quiſque cadere, aut ſauciari*. & in fragm. lib. 1. Hiſt. *fortuna meliores ſequitur*. Juſtin. lib. 9. cap. 2. *Neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent*. Adeo, ut idem dixerit Alexander, quod Pyrrhus apud Plutarchum vitæ cap. 14. qui à filiis interrogatus, *cuinam relicturus eſſet regnum*, reſpondit, *Ei, qui veſtrum acutiſſimum habuerit gladium*. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Licet vero ſic de LL. arbitrentur dominantes, illæ tamen aliter non obſtringunt ſubditos, quam ſi reſpondeant, Legibus Divinis, & naturalibus. Siquidem à parte ſubditorum, perpetuo valet hæc Lex: *Oportet obedire Deo potius, quam hominibus*, Act. 2. 29. Egregie Bernardus ep. 7. *Valde perverſum eſt profiteri te obedientem, in quo noſceris ſuperiorem propter inferiorem, id eſt, Divinam propter humanam ſolvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo, prohibet Deus, ego audiam hominem, ſurdus; Non ſic Apoſtoli*. Quod gnarum ipſi Pericli erat, qui, teſte Plutarcho, roganti pro ſe falſum teſtimonium, reſpondit: Δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν. Eoque omnes illi,

quibus vi Majeſtatis ſive abſolutæ, ſive delegatæ νομοθεσία convenit, ut tantummodo poteſtatem habent condendi leges poſitivas, quæ obſtringant ſuos ſubditos, ſic jus civile, ſeu privatum, ſeu publicum, alia ratione condere non poſſunt, quam quatenus conſentaneum illud ſemper manet juri naturali. Egregie Ulpianus in leg. 6. ff. de J. & J. *Ius civile* (inquit) *eſt, quod neque in totum à naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei ſervit. itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi: jus proprium, id eſt, civile efficimus.*

LXIX. Ut ergo omnes ſubditos obſtringunt leges, quæ feruntur ab illis, quibus vi Majeſtatis, delegatæ quoque, νομοθεσία convenit, ita ratione habita ſubditorum, qua talium, leges omnes æqualiter reſpicere debent ſecundum Stoicos. Inde illud Senecæ ep. 86. *Nihil volo derogare legibus, nihil inſtitutis, æquum inter omnes cives jus ſit.* & iterum ep. 107. *Æquum jus eſt, non quo omnes uſi ſunt, ſed quod omnibus latum eſt.* Et tamen contra ea quæ ſunt juris civilis privilegium concedi poteſt (licet, ut antea obſervatum, ſecus viſum fuerit barbatis Romanis) ab illis, qui Majeſtatem habent, modo non derogetur aut juri naturali, aut per illud ſalus publica incommodi aliquid patiatur. non enim privilegium legem privat, ut cenſebat Accurſius, ſed ſæpe legem ſupplet in iis caſibus, ad quos jus commune minus commode accommodari poteſt. Effectus vero privilegiorum triplex potiſſimum eſt. Aut enim jus datur privilegio, aut per privilegium introducitur obligatio, aut derogatur juri contrario. Vulgo privilegia diſtingui ſolent in perſonalia & realia, quo faciunt hæc verba Julij Pauli in leg. 68. ff. de R. I. *In omnibus cauſis id obſervatur,* (inquit) *ut, ubi perſonæ conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficiat: ubi vero genus actionis id deſiderat, ibi ad quemvis perſecutio ejus devenerit, non deficiat ratio auxilij.* eaque diſtinctio eſt conveniens. Privilegia, quæ vi Majeſtatis conceduntur, tam extraneis, quam ſubditis concedi poſſunt. Nec princeps, aliuſve ſupremus Magiſtratus privilegium extraneo concedens, mox

eo ip-

eo ipſo conſequitur aut imperium in eum, aut jus. Quare ſecundum Canoniſtas, ipſe Pontifex ab Imperatore privilegia accipere poteſt. Amplius, non modo iidem qui privilegia conceſſerunt, eadem eripere poſſunt, verum hoc jure quoque gaudent, eorum ſecundum delegatam Majeſtatem ſucceſſores. Exemplum notatu dignum occurrit, in leg. *Decernimus*, ſive 16. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. ubi Imperator Zeno privilegia revocat tempore Tyrannidis (invaſerat remp. Baſiliſcus) conceſſa.

LXX. Porro hic emergit quæſtio, & quæritur, an leges Romanæ omnes in univerſum homines obſtringant? Verum quidem eſt, quod à Juſtiniano in princ. Novell. 9 *Roma legum patria* vocetur; quodque Claudianus lib. 3. de laud. Stil. eandem ſic alloquatur:

Armorum, legumque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula Iuris.

quodque in addit. ad Capitul. Ludovici Imp. cap. 4. *Lex Romanorum, legum omnium mater*, nuncupetur. Sed, cum jam antea Th. 22. ſolide evicerimus, Romanos nunquam fuiſſe dominos totius terrarum orbis, patet ultro, quid de eorum legibus ſit ſtatuendum. Imo, quos ſubjectos habuerunt populos, eorum pleroſque contra jus & fas iniquis armis oppreſſerunt. *Inde Cyprianus libel. de Idol. Vanit.* Imperium (*inquit*) tenuerunt Aſſyrij, Medi, & Perſæ, & Græcos & Romanos regnaſſe, cognovimus; ita vicibus poteſtatum, Romanis quoque & cæteris imperandi tempus obvenit. Cæterum ſi ad originem redeas, erubeſcas: Populus de ſceleratis & nocentibus congregatus, & aſylo conſtituto, facit numerum impunitas criminum, ut rex ipſe principatum habeat, ad crimina fit Romulus parricida, atque ut matrimonum faciat, rem concordiæ per diſcordias auſpicatur. Rapiunt, ferociunt, fallunt; ad copiam civitatis augendam, nuptiæ ſunt illis, rupta hoſpitij fœdera, & cum ſoceris bella crudelia. *De iiſdem Minutius Felix Advocatus Romanus ita loquitur in ſuo Octavio*: Confluxerunt perditi, facinoroſi, inceſti, ſicarij, proditores, aſylo prima plebs congregata eſt, ipſe Romulus primo parricidium fecit,

mox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

mox alias virgines jam deſponſatas, & nonnullas de matrimonio mulierculas ſine mora rapuit, violavit, illuſit, & cum earum parentibus, ſoceris ſuis, bellum miſcuit: jam finitimos agro pellere, civitates proximas evertere, captos cogere, damnis, alienis & ſuis ſceleribus, cum Romulo cæteris regibus & ducibus poſthumis diſciplina communis. Ita quicquid Romani tenent, poſſident, audaciæ præda eſt: toties à Romanis impiatum eſt, quoties triumphatum. *Hac Minutius*. Nec alia mens Arnobii, ſub finem operis contra Gentes, hoc judicium ferentis de Roma: *Vna civitas* (inquit) *in humani generis perniciem nata, orbem ſubjugavit innocuum.* Nulla ergo eſt ratio, quare Leges Romanæ cenſeantur obſtringere in colas ὅλης τῆς οἰκȣμένης. Quod vero aliquæ gentes in Europa, jus Juſtinianæum receperint, quo jus ſibi proprium ex eo & ſuppleretur & explicationem acciperet, imputandum eſt libero earundem conſenſui, prout recte de ſuis Gallis cenſent, *Cujacius ad Paul. Sentent. lib.* 1. *tit.* 7. *Papon. in prolog. Arreſt. Franc. & Choppin. de doman. Franc. lib.* 2. *tit.* 15. *n.* 5. quomodo & Romani ad miſerunt Navales Rhodiorum leges, rejiciendo interim eas, in quantum Cæſareis LL. adverſabantur, ut docet lex *Deprecatio*, ſive 8. ff. De lege Rhod. de jactu. Quod enim dicit Viglius Zuichemus in Præf. ad Inſtit Theophili, veriſſimum cenſendum: *Ius Romanum* (inquit) *licet primo Romanis eorumque ſubditis ſcriptum fuerit, tamen ob ipſam excellentiam, æquitatem & utilitatem, aliæ nationes illud amplexæ ſunt; unde commune jus & univerſale merito dicitur.*

LXXI. Ratione νομοθεσίας, quam vindicavimus illi, circa quem Majeſtas notatur, una adhuc quæſtio expediunda reſtat. An ſcil. ea ſe non modo ad negotia ſacra & Eccleſiaſtica, quam civilia extendat. Hic quidam parum aut nihil Magiſtratui, ſupremo licet, concedunt, alii nimium. Media via tutiſſina. Quemadmodum ergo cum ratione, ut teſtis eſt Optatus Milevitanus lib. 2. damnata eſt hæc Donati Hæreſiarchæ vox: *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia?* meritoque Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. itemque

epiſt.

epiſt. 48. & 50. in Donatiſtarum errores invehitur, quod aſſererent Chriſti Eccleſiam, neque opera, neque legibus, neque ſubſidio Principum uti debere. Ita, Magiſtratus poteſtatem circa res ſacras, nimis extendere non convenit & revocare antiquam Romuli legem, cujus hæc fuit formula: *Sacrorum omnium poteſtas ſub regibus eſto.* nec audiendus quoque eſt Ariſtoteles lib. 3. Pol. cap. 11. contendens regem eſſe debere, τῶν πρὸς τοὺς θεοὺς κύριον. Quod Ambroſius apud Cedrenum Theodoſio Imperatori dixit, probamus: *Purpura non Pontifices facit, ſed Imperatores.* Ut enim fervidiſſimus Martyrum Ignatius in Epiſt. ad Trallianos loquitur: *Neque carnales poſſunt facere ea, quæ ſpiritualia ſunt, neque ſpirituales ea, quæ carnalia ſunt*: ac, ut iterum dicit Ambroſius ep. cit. *Imperator bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt. bonus enim Imperator quærit auxilium Eccleſiæ, non refutat.* Nam quicquid quibuſdam videatur, cura eorum, quæ formaliter Eccleſiaſtica ſunt, ſpectat ad ſolas perſonas Eccleſiaſticas, non vero ad Magiſtratus, quos vel ſolum Huzziæ exemplum lib. 2. Chron. cap. 26. hic terrere debet: & quanquam Magiſtratus habet poteſtatem Architectonicam tam in confirmandis, quam in approbandis iis, quæ in ſe atque ſua natura ſunt ſpiritualia, quatenus de illis quid decernit, non ſolum judicio cognoſcitivo, verum etiam definitivo; nunquam tamen huic judicio vacare debet, niſi poſtquam probe edoctus eſt de illis, circa quæ exequenda poteſtatem ſuam exercere debet, eorumque bonitatem ex verbo Dei exploratam habet, adhærendo, ratione poteſtatis illius, viris, quorum officium eſt eandem ex verbo Dei trutinare atque dijudicare. Sic erit *nutricius* genuinus Eccleſiæ, Eſ. 49. maxime, ſi non minus conſervandæ orthodoxæ religioni, quam extirpandæ heterodoxæ quam gnaviter incubuerit. Non inconvenienter Julius Firmicus in Orat. ad Conſtantium & Conſtantem Auguſtos: *Vobis, ſacratiſſimi Imperatores, ad vindicandam & puniendam idololatriam neceſſitas imperatur, & hoc vobis Dei ſummi lege præcipitur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

LXXII. Conſiderata νομοθεσίᾳ, velut principali Majeſtatis capite, à quo omnia alia dependent, reliqua κατ᾽ ἐπιτομὴν ſolum expendemus, enumeraturi ea potius, quam plene pertractaturi. Proxime ergo jus belli occurrit, armis ſæpe vicem legum exhibentibus, atque illos in ordinem redigentibus, qui legum vinculis coërceri renuunt. Inde illud Juſtiniani in veſtibulo Inſtitut. *Imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed & legibus ſuis armatam eſſe debere, ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis recte gubernari poſſit.* Nec minus convenienter Libanius Orat. adverſ. Magiſtr. Adſeſſores: οἶμαι δὴ πάντας ἀνομολογῆσαι, δύο ταῦτα τῶν τὴν ἀρχὴν ὑμῖν συνεχόντων εἶναι τὰ μέγιςα, τήν τε τῶν ὅπλων ἰσχὺν, καὶ τὴν τῶν νόμων, ὧν ἡ μεν πολεμίων περιεῖναι ποιεῖ, παρὰ δὲ τῶν ἐπὶ τῶν δικαίων τυχάνειν. *Arbitror omnes id mihi conceſſuros, duo eſſe maxime, quæ imperium vobis ſervant, vim armorum & vim legum, quorum illa de hoſtibus victoriam dat, hæc vero dat frui jure.* Ut vero leges ſerviunt coërcendis morigeris, ſic bellum frænat refractarios, nec indici poteſt niſi ab illo, qui ſupremam poteſtatem habet. Is vero eſt populus. Hinc utramque paginam apud Livium hæ formulæ faciunt: *Populus bellum fieri Æquis juſſit. Populus hoc bellum frequens juſſit. Bellum ex auctoritate Patrum, populus adverſus Veſti vos juſſit.* Inde & Pomponius IC. dicit: leg. 24. ff. de Captiv. & poſtl. reverſ. *Hoſtes hi ſunt, qui nobis, aut quibus nos publice bellum decrevimus. cæteri latrones, prædones.* & totidem ferme verbis Ulpianus IC. in l. 118. ff. de V. S. *Hoſtes ſunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipſi populo Romano: cæteri latrunculi vel prædones appellantur.* Eoque minus convenienter bellum definitur à Lipſio lib. 5. Polit. cap. 3. *Vis & arma in principem, aut populum alienum.* ſic enim belli quoque rationem haberet vis, quam ſæpe privati atque latrones inferunt. Convenientior belli definitio, quam proponit Albericus Gentilis lib. 1. de Jure Belli, cap. 2. *Bellum* (inquit) *eſt publicorum armorum juſta contentio.* Juſtum vero non eſt bellum, antequam expoſita cauſſa legitima, ſolemniter publice indictum fuerit. *Nullum bellum juſtum haberi*

videtur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

videtur, niſi nunciatum, niſi indictum, niſi repetitis rebus, ut ſcripſit Cicero lib. 1. Off. &, quoniam res antea ſunt repetendæ, lente feſtinandum eſt. Nam ſecundum Senecam Agamemn. *Extrema nemo primo tentavit loco.* Obſervarunt accurate Romani, ut ex infinitis Hiſtoricorum locis patet. Imo de ipſis Gallis hæc recitat Livius lib. 5. *Erant qui ex templo Romam eundum cenſerent. Sed vicere ſeniores, ut legati prius mitterentur quæſtum injurias, poſtulatumque, ut pro jure gentium violato, Fabij dederentur.* Amplius juſte gerendum eſt bellum, & quantum fieri poteſt, cum minimo incommodo innocentium: unde apud Livium lib. eod. *Iuſte non minus, quam fortiter bella gerenda*, Camillus reſpondit. Quod, ut fiat, caſtrenſi diſciplinæ ſua per omnia conſtare debet ratio. Unde Paulus ait l. 19. §. 5. ff. de Capt. & Poſtlim. rev. *diſciplinam caſtrorum antiquiorem Romanis fuiſſe, quam charitatem liberorum.* Quod & exempla probant: nam ſecundum Ciceronem lib. 1. de Fin. *Manlius Torquatus ipſi naturæ, patriæque amori prætulit jus majeſtatis.* Nulli ergo, niſi cui competit Majeſtas, aut indicere, aut gerere bellum licet. Huc pertinet illud Platonis lib. ult. de L.L. *Si quis privatim, ſine publico ſcitu, pacem bellumve fecerit, capitale ſto.* Similiter ſecundum Marcianum l. 3. Lege Julia de Majeſtate, *tenetur, qui injuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit.* Plura de hoc jure non addo, quod omnia præoccuparint viri ſummi Aiala, Albericus Gentilis, &, qui primo loco nominandus fuiſſet, vir ſui nominis Grotius.

LXXIII. Quæ belli, pacis quoque ratio eſt, ſimulque federum, aut pro conſequenda pace, aut felicius gerendo bello, percuti ſolitorum. Jus enim belli & federum pari paſſu incedunt, nec minus jus faciendi fædus, ad ſupremam poteſtatem, ſeu Majeſtatem ſpectat, quam jus armorum. Hoc jus æque Pop. Rom. libera rep. ſibi vindicavit, atque jus armorum. Inde illud Salluſtij in Bel. Iugurt. cap. 39. *Senatus, uti par erat, decrevit, ſuo, neque populi injuſſu, nullum potuiſſe bellum fieri.* Notabile exemplum occurrit apud *Livium lib. 9.* Conſules (*inquit*) profecti ad Pon-

in colloquium, cum de fædere victor agitaret, negarunt injuſſu populi fædus fieri poſſe, nec ſine Fecialibus, cæremoniaque alia ſolenni. Itaque non ut vulgo credunt, Claudiuſque etiam ſcribit, fædere pax Caudina, ſed ſponſione facta eſt. *& paulo poſt:* Sp. Poſtumius, qui ſponſionem fecerat, in Senatu ſententiam à Coſſ. rogatus, ita diſſerit: Hæc ſententia teſtis erit, mihine, an legionibus veſtris pepercerim, cum me ſeu turpi, ſeu neceſſaria ſponſione obſtrinxi, qua tamen, quando injuſſu populi facta eſt, non tenetur Populus Rom. neque quicquam ex ea, quam corpora noſtra debentur Samnitibus. Dedamur per Feciales nudi, vinctique exſolvamus religione populum, ſi qua obligavimus. *Et poſt;* Neque ego inficias eo, Patres conſcripti, tam ſponſiones, quam fœdera ſancta eſſe apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur, ſed injuſſu populi nego quicquam ſanciri poſſe, quod popnlum teneat. *Hæc Livius.* Similiter multis annis poſt, C. Mancinus Numantinis, quibuſcum injuſſu populi, & citra Senatus auctoritatem fædus fecerat, deditus eſt. Teſte Cicer. lib. 3. Off. & Floro lib. 2. cap. 18. Oppreſſa republ. Imperator utrumque jus & belli & pacis ſibi arrogavit. Inde Juſtinianus dicit in Præf. Novel. 105. *ſequens tempus in imperatorum piiſſimorum tranſpoſuiſſe bellandi & pacificandi poteſtatem.* Sed, an idem exiſtimandum eſt de moderno Imperatore Romano Germanico? Cum ratione negare videtur Hippolithus à Lapide l. d. cap. 9. ſect. 1.

LXXIV. Ad jura Majeſtatis quoque pertinet magiſtratuum creatio: ſcil. tum ſuperiorum, tum inferiorum, ſi Majeſtas abſolute ſpectetur. At, ſi ea attendatur ut delegata, ſuperiores Magiſtratus, vi Majeſtatis, ſibi delegatæ, inferiores creare ſolent. Illo modo ſi Majeſtas conſideretur, ſoli populo jus hoc vindicari debet. Indé (teſtis eſt Halicarnaſſæus lib. 5. Antiq. Roman.) P. Valerius Poplicola, ut re ipſa oſtenderet, ſe ſerio ſtudere libertati P. R. legem tulit, qua diſerte cavit, ne quis Romæ magiſtratum gerat injuſſu populi, mortis pæna propoſita illi, qui

ſecus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

ſecus feciſſet, atque impunitate conceſſa illi, qui talem occidiſſet. Quod jus quoque populus conſtanter ſibi vindicavit, uſque ad Principes. Inde illud Juvenalis Sat. 10. de populo:

Nam qui dabat olim Imperium, faſces.

Poſtea excluſus plane fuit populus. Unde dicit Modeſtinus l. unic. ff. ad leg. Jul. Amb. *Ad curam principis magiſtratuum creatio pertinet, non ad populi favorem.* Inferiores magiſtratus quilibet conſtituere poteſt, qui modo delegata Majeſtate gaudet: ſic tamen, ut iiſdem quoque juriſdictionem, ſeu imperium; id eſt, quandam Majeſtatis ſibi delegatæ imaginem communicet, prout ſupra Th. 64. abunde probavimus. Horum Magiſtratuum diverſi iterum ordines notari ſolent, quos haut neceſſum hic annotare. Quinam vero ut Magiſtratus ad munera publica admitti mereantur, eleganter docent Impp. Theodoſ. & Valentin. quando leg. fin. Cod. ad Leg. Jul. Repetund. ita Florentino reſcribunt: *Sancimus ejuſmodi viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris inſignia non ambitione, vel pretio, ſed probatæ vitæ, & amplitudinis tuæ ſolent teſtimonio promoveri.* Hinc Romani Virtutem & Honorem in ædibus ſacris contiguis coluerunt, bello Liguſtrico à Q. Maximo dedicatis; & multis annis poſt, à M. Marcello ea ratione renovatis, ut non niſi per Virtutis ad Honoris ædem pateret aditus; quo ſignificarent, eum gloria præcellere debere, quem vel (ſecundum Claud. de Conſul. Manlij)

-- invitum blande veſtigat, & ultro
Ambit honor.

quali proinde candidato applicari poſſit illud ejuſdem ex lib. 3. de Laud. Stilic.

Ipſa (virtus ſcil.) *tibi trabeas ultro dedit, ipſa curulem*
Obtulit. hæc ultro Faſtos ornare coëgit.

Præclare hoc etiam (ajebat Cic. de petit. Conſul.) *prodeſſe, quorum in locum ac numerum pervenire velis, ab his ipſis illo loco ac numero dignum putari; & virtute tua præfinire, ut quanto honore ex illorum dignitate afficeris, non minora ornamenta ex tua laude reddas.* Alias,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

ſecundum Salluſt. Catil. *Nihil indignius, quam, non dignos homines honore honeſtatos videre.* Sed tamen ut olim, ita pro dolor! etiam hodie, quam verum eſt illud Claud. Mamert. pro Conſ. grat. act. *Otioſis, atque alia curantibus, provinciæ, præfecturæ, faſces, ſella curulis, atque inſignia omnia Magiſtratuum deferuntur.* Atque, in ſtatu maxime Ariſtocratico & Democratico, quibuſdam Majeſtas à populo alium in finem conceſſa non videtur, quam ut ſuos filios & propinquos, improvidos, imperitos, & molles, imo ſæpe flagitioſos juvenes, in præjudicium tot virorum egregiorum, promoveant ad ſubalterna, eademque publica munera; quales datatim ludere, atque ſecundum contractus innominatos, do ut des, facio ut facias, & do ut facias (integra etiam conſcientia, ut dicere jam olim ſolent, ſed ô prodigium!) remp. cauponari ſolent. Quum tamen Auguſtus (teſte Suet. lib. 2. cap. 55.) ſuos filios promoveri ſub alia formula noluerit, quam *ſi meruiſſent.* Diſſimilis admodum iis, in quos illud Plauti Trinum. competit:

Falſon' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt.

Quis tamen ambitum coërceat? de quo vere Lucan. lib. 1. Pharſ.

-- lethaliſque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina campo.

Imo meruiſſe honores non modo olim, ſed & hodie putatur is ipſe, in quem alias vere quadrat illud Cypriani: *Quantis hic ſordibus emit, ut fulgeat?* Et tamen apud Carthaginenſes, jam olim, teſte Philoſopho, lib. 2. Polit. cap. 9. magiſtratus ſummi quoque, vendi ſolent Idem obſervatum fuit in Gallia à temporibus Franciſci I. ut non immerito Archiepiſcopus Bituricenſis, in poſtremis Comitiis Blæſenſibus ab Henrico III. celebratis, execrabilem illam nundinationem inter cauſſas miſeriarum regni retulerit, ſiquidem hi nundinatores, *quod averſione emerunt, ſingillatim poſtea divendunt,* ut dicebat Ludovicus XII. apud Bodinum lib. 5. de Pol. cap. 5. Qui ipſe, quam graviter quoque hanc nundinationem inſectatur eodem loco. Vere Tullius lib. 1. Off. *Non modo*

turpe, *verum etiam ſceleratum & inſanum eſt*, *habere quæſtui Remp.* Sed, ne longius à ſcammate recedamus, ratione Magiſtratuum quæritur, an legi quoque poſſint ex exteris? Romani quidem (teſte Sueton. l. d. cap. 40.) *magni æſtimantes ſincerum atque ab omni colluvione peregrini ac ſervilis ſanguinis incorruptum ſervare populum, civitatem Romanam parciſſime dederunt.* Ita & Gallis hodie uſitatum, exterum ad beneficia ejuſdem regni non admittere. Nec per omnia fruſtra. Bene enim Plato Alcib. 1. εἰδότος περὶ ἑκάστου ἡ συμβουλή. *Conſilium ejus eſt*, *qui rei cujuſque peritus eſt.* quam peritiam fruſtra ab iis requiras, qui non leges civitatis moreſve norunt, imo vix ipſos homines: & in quos quadrat libellus olim Romæ propoſitus, quum Julius Cæſar, teſte Sueton. lib. 1. cap. 80. multos peregrinos in Senatum allegiſſet: *Bonum factum*, *ne quis Senatori novo curiam monſtrare velit.* Quales, ſi in præjudicium civium promoveantur, publica indignatio exoritur, quoque, qui præteritur, ingeminante illud Juvenal. ex Sat. 8.

Vſque adeo nihil eſt, *quod noſtra infantia cælum*
Hauſit Aventini, *bacca nutrita Sabina?*

Nec tamen ſimpliciter rejiciendi ſunt peregrini. Ut enim præclare dicit Cicero Orat. pro Sylla: *Non peregrini habendi*, *quorum jam & nomen & honor urbi inveteravit*, *& hominum famæ & ſermonibus: neque patiuntur ſe ab aliis verborum jactantia inani ſuperari*, *niſi virtute vincantur.* Sic civitate Romana Cornelium Balbum Gaditanum, quod ab ineunte ætate, relictis rebus ſuis, omnibus in Bellis cum Romanis Imperatoribus fuiſſet verſatus, nullius obſidionis, nullius prælij expers, Cn. Pompeius M. jure ſummo donavit. Idem Theophanem Mytilenæum Græcum, cæterum ſcriptorem rerum ſuarum, pro concione militum in civitatem recepit. Simili de cauſſa A. Licinius Archias poëta, Antiochiæ natus, in civitatem adſcriptus eſt, quod omne ſuum ſtudium atque ingenium contuliſſet ad pop. Romani gloriam laudemque celebrandam. Eoque hic conſiderandum eſt, quid tempus, quid religio, quid cujuſque gentis ingenium atque leges permittant. Quæ dotes

vero

vero, ſive in civibus, ſive exteris conſiderari potiſſimum debeant, ut ad publica munera admittantur, optime Tiberius perſpexiſſe videtur: qui in pleraque gubernatione prudens, hoc quoque ſervabat, *ut mandaret honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illuſtres domi artes ſpectando, ut ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe*, prout refert Tacit. lib. 4. Annal cap. 6. Poſtremo, ratione Magiſtratuum quæri ſolet, debeantne perpetui eſſe, an ambulatorij? Porcius Latro apud Senec. controv. ult. pronunciat quidem: *Nihil tam civile, tam utile, quam brevem poteſtatem eſſe, quæ magna eſt* Cæterum, hic diſtinguendum eſt inter Monarchiam & Polyarchiam. Illius ratione, quod docent exempla omnium ferme Regum (etiam eorum, quos Deus conſtituit) præſtat ἄρχειν συνεχῶς καὶ διὰ βίου, *imperare continuo & per univerſam vitam*, prout loquitur Philoſophus lib. 4. Polit. cap. 4. Nam ut novus rex, ut plurimum novas leges ferre ſolet; ita illæ reip. quam graves ſunt. Quid quod novus rex, novis quoque onerum tributis ſubditos ſuos ut plurimum gravare conſuevit. Quare locum habet, quod teſte Nicephoro lib. 1. cap. 17 de Præfectis pronunciavit Tiberius: *Ut muſcæ, ſi diutius corporum ulceribus inſideant, minus graves aut moleſtæ ſunt, quippe ſanie ulcerum ad ſatietatem uſque refertæ, & is, qui ulceribus ſcatet, durius accipitur affligeturque, ſi ſaturis jam repulſis, famelicas alias ad vulnera admittere velit.* Quod ad Polyarchiam vero, præſtat magiſtratus ſuperiores ambulatorios eſſe. hoc Ariſtoteli eſt l. d. ἄρχειν κατὰ μέρος *imperare per vices*: & lib. 3. Polit. cap. 10. ἄρχειν μέχρι τινῶν ὡρισμένων χρόνων ἢ πράξεων, *imperare certis quibuſdam temporibus & rebus*. Sic enim *primo* concordiæ civium conſulitur, prout gnarum erat Fabio Maximo, qui teſte Valer. Max lib. 4. cap 1. *Comitiis, quibus filius ejus ſummo conſenſu conſul creabatur, quam potuit conſtanter cum populo egit, ut vacationem aliquando hujus honoris Fabiæ genti daret: non quod filij virtutibus diffideret (erat enim illuſtris) ſed ne maximum imperium in una familia continuaretur.* Alias odioſum hoc genus hominum, & intolerandum, qui minime *contenti honoribus annuis*,

ſi fieri

ſi fieri poſſet, uno nomine occupare Faſtos velint, per omnem orbem titulos diſponere; (ut cum Seneca loquar. lib. 1. de Ira cap. ult.) & tanquam in poſſeſſionem ſuam veniſſent, *morandi in imperiis cupiditate* (Pater. lib. 2.) excludunt alios: cum ut reliquis in rebus, ſic in Magiſtratu gerendo non ſit iniqua viciſſitudo, ut (*quod æquæ libertatis eſt*) *invicem annuis Magiſtratibus parere, atque imperitare liceat*, ut cum Liv. lib. 4. loquar. ſecundum quem, *tum bene cum civitatibus agitur, ſi ſpes, ſi aditus ad honores viris ſtrenuis & fortibus datur, ſi in ſocietatem Reip. admittuntur.* Atque non video, quomodo quis illam remp. amare poſſit, in qua ſe laboris ac periculi participem, honoris ac dignitatis exortem videat fore. Convenienter Salluſt. in Fragm. lib. 3. Hiſt. *Abſit periculum & labor, quibus nulla pars fructus eſt.* Præterea *ſecundo*, ἀρχὴ διηρημένη κατὰ χρόνον, ſive, *Magiſtratus tempore circumſcriptus*, ut loquitur Ariſtoteles lib. 3. Polit. cap. 1. facilius ad lineas officij ſui exigi poteſt. Quod & vidit hic ipſe Philoſophus lib. 5. Polit. cap. 8. ita per interpretem ſuum loquens: *Qui parvo tempore præſunt Magiſtratui, non tam facile nocere poſſunt, quam qui longo.* Noverant præ aliis Romani, dum modum quendam imperij diuturnitati ſtatuerent, atque annuos Magiſtratus eſſe voluerunt, ut, ſecundum Livium l. d. *temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non poſſet*: quod (ſecundum Salluſt. Catil.) *eo modo minime poſſe putarent, per licentiam inſoleſcere animum humanum.* Huc pertinet ſeria illa comminatio Tribunorum Plebis apud Livium lib. 41. *Privatum rationem redditurum earum rerum eſſe, quoniam Conſul noluiſſet.* Romanorum exemplum ſecuti fuerunt eorum æmuli Carthaginenſes: inter quos cum olim Judicum ordo dominaretur, ſic ut ijdem perpetui judices eſſent: *Prætor factus Annibal*, (ſunt verba Livij lib. 33.) *ut ſecundis auribus accipi orationem ſuam, & infimorum quoque libertati gravem eſſe ſuperbiam eorum animadvertit, legem extemplo promulgavit pertulitque, ut in ſingulos annos judices legerentur, ne quis biennium continuum judex eſſet.* Non tamen ſufficiunt duæ præcedentes aſſertiones, atque tertia ſuperaddi debet. Nam Magiſtratus,

qui circa ſecreta & ſimul ardua negotia occupantur, longiori tempore in munere verſari debent, ut per experientiam tantis negotiis expediundis aptiores reddantur. Qui ſingulis annis Magiſtratus ineunt, dum incipiunt, trepidant; atque ægre pudorem in re nova & ardua ponunt: ſimul (ut diſſerit Marius apud Salluſt. Bel. Jugurth.) *ignari omnium, aliquem monitorem officij ſui ſumant, neceſſe eſt.* Atque, ſecundum Iſocrat. in Buſiridem: *Ad privatam vitam prius redeunt, quam publicorum negotiorum ſcientiam aliquam conſequantur, uſuque rerum erudiantur. Qui vero iiſdem rebus perpetuo præſunt, ut minus ingeniis valeant, longe tamen experientia cæteris antecellunt.* Quis enim eſt (ut uſurpem verba Plinij in Panegyrico) *tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem Senatorem ſperet, quanto diutius fuerit? ut nonnunquam talium hominum tolerabilius ſit experimentum, quam uſum nobis negari.* Norat M. Popilius, apud Livium lib. 41. eoque, ne Graccho in provincia ſuccederet, deprecabatur, dicendo: *Interrumpi tenorem rerum, in quibus peragendis continuatio ipſa efficaciſſima eſſet, minime convenire. Inter traditionem imperij, novitatemque ſucceſſoris, quæ noſcendis prius, quam agendis rebus imbuenda ſit, ſæpe bene gerendæ rei occaſiones intercidere.* Priuſquam finio hoc Majeſtatis caput, quæritur non abſque ratione, an hodierno Imperatori fas ſit, ſupremos Magiſtratus conſtituere & deſtituere pro arbitratu? Negativa autem ſententia veritati maxime conſentanea, confirmante eam luculente Hippolitho à Lapide l. d. cap. 13. ſect. 1. Ex quo non poſſum, quin proximam diſtinctionem annotem: *Aliud enim eſt* (inquit) *vocari titulo tenus Principem ſeu Ducem: Aliud, in Comitiis inter Principes jus habere ſedendi, ac ſuffragium ferendi. Nec, qui Principes Imperij nominantur, & titulo ac honore Principum gaudent, illicò Ordines Imperij ſunt, ac ſuffragio ſeſſioneque Principum in Comitiis potiuntur.*

LXXV. Tributa, velut ad jura Majeſtatis pertinentia, proxime conſiderari debent. Jis reſp. deſtitui non poteſt, nam, ut recte Petilius Cerialis apud Tacitum lib. 4. Hiſt. cap. 74. diſſerit: *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia*

pendia ſine tributis haberi poſſunt. Plurimi ex Politicis Doctoribus, ad jura Majeſtatis minora hoc caput referunt, quod Vectigalia Fiſcum Principis potiſſimum concernere videantur. Sed cum, ut modo audivimus, univerſæ reip. ſalus (quatenus ſæpe adverſa, & caſus quidam non minus graves quam inopinati incidunt) à tributis pendeat, Fiſcum ab ærario diſtinguere convenit. Quomodo & diſtinguere oportet inter ſpontaneam oblationem, & tributorum irrogationem. Illa hac vetuſtior eſt, ſiquidem olim ſubditi Principibus ſuis plerumque munera potius voluntaria, quàm reditus certos & ſtatos obtuliſſe videntur, quod ex hiſtoria Davidis, ſpeciatim 2. Sam 8. & 1. Chron. 19. conſtat. Idem factum inter Perſas, teſte Herodoto in Thalia. Sub Cyro enim & Cambyſe munera ſaltem & honoraria Regibus afferebant. Darius certas penſiones ſingulis Provinciarum rectoribus impoſuit, quod cum animis non ſatis æquis ferrent Perſæ, Cyrum Patrem fuiſſe, Cambyſem Dominum, ſed Darium inſtitorem, ſeu Quæſtorem eſſe dicebant. Quod vero ad vectigal, irrogari ſolitum, illud ſupremi imperij teſſera vulgo, & quidem recte, dicitur, quod vectigalia nova inconſultis Principibus non inſtituantur, inſtituta non niſi per eandem majeſtatem reformentur, diminuantur, aut etiam in totum tollantur, prout recte colligitur ex l. 3. C. Vect. nov. inſt. non poſſe. Atque hinc Hermogenianus hunc in modum ſciſcit l. 10 ff. de Publ. & Vectig. *Vectigalia ſine Impp. præcepto, neque Præſidi, neque Curatori, neque Curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel diminuere licet.* Putandum vero eſt, Impp. jus hoc, ut multa alia, invaſiſſe & uſurpaſſe. Alias non poſſum non accedere Hippolitho à Lapide, qui l. d. cap. 12. ſolide probare videtur, modernum Imp. Germanicum, non poſſe, abſque Ordd. Imperij conſenſu, ſive tributa, ſive collectas imperij membris irrogare; multo minus eadem poſſe pro ſuo arbitratu diſpenſare atque erogare. Nec plus juris competit regibus Galliarum, utut Auguſtis. Prout gnarum præ aliis erat Cominæo, cujus verba, occurrentia lib. 10. Comment.

ment, non poſſum non hic exhibere. *Ita vero loquitur:* Sunt Principes, quibus hoc frequens eſt in ſermone, ut dicant, habere ſe privilegia, ut, quantum velint, exigant à populo. Certè Galliarum Rex omnium minimè cauſam habet, ut iſtud de ſe jactet: Nec enim vel ipſi, vel cuivis alij id licet. Qui verò comparandæ gratiæ cauſa, poteſtatem hanc illi tribuunt, ii certè parùm liberaliter agunt, & providè. Quid enim finitimorum voluntates alienare magis poſſit, quam ejuſmodi vox atque licentia? verum, ſi Rex ad hunc modum diceret, habere populum fideliſſimum, qui libenter imperata faciat, qui nullum onus recuſet, qui patientiſſime quidvis toleret, qui damnum acceptum moderatiſſimè ferat, majorem ſanè laudem ex eo ſit habiturus, quam ſi prius illud dicat, ſuumque privilegium ſibi diligenter ſervandum eſſe contendat. *Huc uſque Cominæus:* atque hodie idem ex parte obſervari, hinc patet, quod Rex, ſi quæ nova tributa irrogare velit, venire conſueverit in Parlamentum, atque Edictorum, de iis conditorum, approbationem non tam exigere, quam ſuadere, ſi non ſæpe rogare. Ut vero alias diſtinctiones hic obſervandas omittam; diſtinguere convenit inter tributa, collectas, atque vectigalia. Et primum tributa à collectis differunt, quod collectæ non habeant certam, & annuam præſtationem, ſed incertam, idque ob neceſſitatem occurrentem. Similiter & vectigalia, & tributa diſtinguuntur: quia vectigalia ſolvuntur pro rebus civitatibus invectis, avectiſque. Et à mercatoribus, ut plurimum propter uſum, ſecuritatemve viæ publicæ præſtantur. Tributa verò ratione ſoli à poſſeſſoribus inferuntur. Quanquam à tributis ordinariis jus Canonicum eos eximit, qui Clerici vulgo in Papatu audiunt; atque æquitas ſuadere videtur, ut ij aliquali privilegio ratione publicarum exactionum gaudeant: ſimiliter Magiſtratus procurare debeat, ut illis, qui ſacris vacant, ſufficienter circa τὰ βιωτικὰ proſpiciatur: neutiquam tamen Magiſtratus tenetur illos eximios præſtare ab oneribus, quæ reliqui ſubditi ſuſtinent. Nec contrarium patet ex

jure

jure Civili, inveniuntur quidem leges plurimæ Imperatorum, quibus Clerici à ſordidis muneribus, & à perſonalibus miniſteriis, & parangariæ præſtatione, & à tutela ſeu teſtamentaria, ſeu legitima, ſeu dativa, & à cura pupillorum eximuntur: ſpeciatim l. 11. & 12. Cod. de Sacroſ. Eccl. & l. 2. 6. & 52. Cod. de Epiſc. & Cler. Sed hoc totum privilegium fuiſſe & indulgentiam principum, generaliter quidem omnibus clericis, peculiariter vero Romanæ Urbis clero conceſſum, docet l. Generaliter 52. Cod. de Epiſc. & Cler. verba legis ſunt: *Propter hoc ipſum beneficium eis indulgemus, ut aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis miniſteriis inhæreant, & hoc non ſolum in vetere Roma, vel in hac regia civitate: ſed & in omni terra obtinere ſancimus.* Cum ergo Clerici hodie tractent civilia, debent juxta hanc legem excidere ſuis privilegiis. Ac ne forte Clerici putarent ſe his immunitatibus plane exemptos à Subjectione Imperatorum, prudentia Principum noluit eos in omnibus eſſe immunes. Sic Conſtantinus & Julianus Cæſares ſcribunt, ad Taurum præfectum prætorio lege 3. Cod. de Epiſc. & Clericis. *De his Clericis qui prædia poſſident, ſublimis authoritas tua non ſolum eos aliena juga nequaquam ſtatuet excuſare: ſed etiam pro iis prædiis quæ ab ipſis poſſidentur, eoſdem ad penſitanda fiſcalia perurgere. Vniverſos namque clericos poſſeſſores duntaxat provinciales, ad penſitationes fiſcalium tranſlationéſque faciendas recognoſcere jubemus.* & l. In Eccleſiis, quæ eſt XI. *Clerici non ex alia poſſeſſione, vel vico, ſed ex eo, ubi Eccleſiam eſſe conſtiterit, ordinentur, ut propriæ capitationis onus & ſarcinam recognoſcant.* & Novella 131. De Eccleſiaſticis titulis, Juſtinianus vult, poſſeſſiones Eccleſiaſticas ad ſternenda itinera, & ædificationem ac reparationem pontium, perinde ac cæteros obligari. Sed & agri Eccleſiæ pendebant tributum, teſte Ambroſio: *Si tributum petit, non negatur: Agri Eccleſiæ ſolvunt tributum.* Et ipſe Papa Urbanus agnoſcit Cauſa 23. q. 8. Can. Tributum. *Tributum in ore piſcis piſcante Petro inventum eſt: quia de exterioribus ſuis, quæ palam cunctis apparent, Eccleſia tributum reddit.* Multa hic notari poſſent de tributis, atque varia monita, prudentiam ar-

guentia proponi, niſi ea ſpeciali operi (quo ſperamus nos bene merituros de poſteritate) reſervaremus. Hoc unum notamus, eos, quibus jus irrogandorum tributorum convenit, hoc unice curare debere, ne illis, quæ coëgerint è ſubditis, ſæpe pauperibus, ad luxum abutantur. Quo cum faciat ſingularis locus Syneſij lib. de Regno, eum per interpretem hic *exhibeo*: Neque (*inquit*) tributis civitates exhaurire regium eſt: bono enim principi ubinam tantis pecuniis opus eſt? cum neque inſolenti animi faſtu ſumptuoſa opera moliatur, nec temperati uſus loco inanem atque ambitioſam magnificentiam affectet, neque juvenili conſilio in Scenicos ludos, gnavorum hominum labores perperam conſumat, ſed nec plurimorum bellorum neceſſitate cogatur, quæ *non demenſis veſci. Hactenus Syneſius.*

LXXVI. Inter Majeſtatis jura conſiderari quoque debet extrema provocatio. Diſtinguunt quidam inter appellationem, provocationem, & interceſſionem: ut prima ſit inter majores, minoreſque: ſecunda, inter æquales; tertia, inter utroſque. Sed hoc diſcrimen neque apud Icc. neque apud alios Claſſicos authores perpetuo obſervatur. Græcum vocabulum ἐπικαλεῖσθαι ſignificat provocare, ſeu vocare ad alium, ſeu ſuperiorem appellare. Quomodo in Valerio Poplicola Plutarchus teſtatur, quod apud Romanos fuerit, νόμος τὸν δῆμον ἀπὸ τῶν ὑπάτων τῷ φεύγοντι δίκην ἐπικαλεῖσθαι δίδωσι: *Lex, quæ permittit reo vitanti judicium, provocare ad populum.* Reſpicit vero legem Valeriam, quam Cicero lib. 2. de Orat. vocat *patronam civitatis, & vindicem libertatis populi Romani. Exactis Regibus*, ait Pomponius l. 2. §. 16. ff. de Orig. Jur. *Conſules conſtituti ſunt duo: penes quos ſummum jus uti eſſet, lege rogatum eſt: qui tamen, ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi.* Eadem lex, ſæpius autoribus Valeriis renovata eſt: acceſſit dein Duellia rogatio tribunitia; quâ cautum, ut qui magiſtratum ſine provocatione creaſſet, eum jus faſque eſſet occidi; neve ea cædes capitalis noxæ haberetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

retur. *Liv. lib.* 3. Ex quo vero Principes remp. occuparunt, ſupremum quoque hoc jus ſibi arrogarunt. Tantum verò momenti conſiſtere in eo judicavit Mecœnas, ut in conſilio apud *Dionem lib.* 52. nemini unquam, ſuaſerit Auguſto, dandam eſſe eam poteſtatem, ut ab eo provocari ad Imperatorem non poſſit. Et in Polonia, cujus ſtatus etſi regalis, Ariſtocraticis tamen comitiis & rationibus maximè gubernatur, ad regem à colloquiis (ita vocant terreſtrium magiſtratuum Palatinorum, & dignitariorum judicia) provocatio ſit. *Cram. lib.* 2. *Polon.* Quod ad Romanum Imperatorem, quum ad eum tanquam ſupremum provocatio inſtituatur, convenienter dicit Ulpianus l. 1. §. 1. ff. à quib. appellare non licet: *Et quidem ſtultum eſt, illud admonere, à principe appellare fas non eſſe: cum ipſe ſit, qui provocatur.* Interim hoc jus ab Imperatoribus (propter σχῆμα πολιτικὸν) remiſſum fuit Senatui, d. l. §. 2. idemque privilegium conceſſum eſt præfecto prætorio, *l. 1. ff. de off. Præf. præt.* Atque in Imperio permiſſum idem eſt omnibus Electoribus, juxta cap. 11. Bullæ aureæ. Uſurpant quoque omnes Reges & Principes, quibus citra exceptionem delegata poteſtas: vere autem competit iis, qui alium ſuperiorem non agnoſcunt. Provocatio hæc, ſpecies defenſionis, exemplo appellationum eſt, qua, gravatis adverſus ſuſpectam judicis inferioris injuriam, ſuccurritur. Et cum ſpecies defenſionis ſit, naturalis cenſetur, nulli impedienda, quia præſidium & aſylum innocentiæ eſt; ut in Paulo Apoſtolo Cæſarem appellante liquet, Act. 25. 11. Quoties vero contra ſententiam majorum magiſtratuum paovocare non eſt permiſſum, Principi tamen ſupplicare licet. *l. 5. Cod. de Prec. Imp. offer. & l. un. C. de ſent. præf. prætor.* Solent vero Principes provocationes ad ſe factas, remittere ſæpe ad inferiores, ad quos fieri debuerant. *l. 21. ff. de appellat.* Licet interdum quoque Princeps, mox omiſſis omnibus aliis judicibus adiri queat, veluti à pupillis, viduis, aliiſque miſerabilibus perſonis, *l. un. Cod. quando Imp. inter pupillos.* Illa vero provocatio, quæ fit ad principem, ſumma habetur: un-

de &

de & juris regalis nuncupatur, quod ſummum juſtitiæ tribunal, & poſtremum ſententiæ elogium in tota Repub. conſtituat, tanquam ſi jura manu claudat, ut bene à Guntero Ligurino obſervatum, cum ait:

---Vt præſens, quaſi maximus omnia judex
Claudere jura manu, cunctaſque recidere lites
Debeat. Atque omnis judex, omniſve poteſtas,
Atque magiſtratus, ipſo præſente quieſcant.

LXXVII. Ab hac extrema provocatione, dependet poteſtas veniam delictorum concedendi, relegatos reſtituendi, capitis damnatos abſolvendi, &c. de quibus videatur Bodinus lib. 1. de Rep. cap ult. Omnium autem peccatorum, ait Bodin. d. loc. quæ à principibus condonantur, nulla laudabilior venia, quam cum injurias ſibi illatas ignoſcunt: & pœnarum capitalium nulla acceptior & gratior eſt, quam quæ acerbiſſimè de contumeliâ immortali Deo illata exigitur: Hoc jus ſupremam quoque poteſtatem, ſeu Majeſtatem arguit. Inde illud Ulpiani l. 1. in fin. ff. de Quæſt. *Præſes Provinciæ* (inquit) *eum, quem damnavit, reſtituere non poteſt, cum nec pecuniariam ſuam ſententiam revocare poſſit. Quid igitur, Principi eum ſcribere oportet, ſi quando ei, qui nocens videbatur, poſtea ratio innocentiæ conſtitit.* Ergo Principi hic plus licet, quod ad remiſſionem pænæ, quam inferioribus Magiſtratibus: licet hi quibuſdam in caſibus quoque, ſecundum jus Romanum reſtituere potuerint, ut patet ex titulis de reſtitutione minorum, majorumve, & ſimilibus. Videtur vero hoc jus primo delatum fuiſſe Auguſto, in quo extollendo Senatus circumſcriptus modum invenire non potuit. Sueton. lib. 2. cap. 57. de ille agens: *Obſervatum etiam eſt*, (inquit) *ne quoties introiret urbem, ſupplicium de quoquam ſumeretur.* Quod ideo factum videtur, quod Magiſtratus diem reditus Auguſti ἱερόν, ſeu, feſtum in perpetuum eſſe voluerit. Feſtis autem diebus veteres ſuppliciis abſtinuiſſe, ad præſentem Tranquilli locum ex Philone contra Flaccum obſervavit ὀπάνυ Caſaubonus. Cavendum vero ſedulo illi, qui

li, qui aut Majeſtatem poſſidet, aut eandem ex delegatione admiſit, ne hoc beneficium in perniciem reip. vergat. Provocat enim & invitat ſcelera, qui veniam iiſdem indulget, maximoque reip. incommodo, pæna latronibus, & graſſatoribus publicis remittitur. Nec quicquam Dei offenſam magis ſtimulat, gratiamque cœleſtem averſam & adverſam reipubl. ac principi reddit, quàm facta malitioſis gratia. Quapropter Auguſtum Cæſarem legimus maluiſſe noctu ingredi, quam diurnis ſupplicationibus veniam ſuo inceſſu operire, teſte Dione Caſſio lib. 54.

LXXVIII. Juribus Majeſtatis annumerari cum maxime quoque debet jus Monetæ, per quam non debet intelligi aut Dea Juno, cognomento Moneta, quæ in arce apud Romanos ex voto Camilli ſerius ædem accepit, teſte Liv. lib. 7. Ovid. lib. 6. Faſt. & Cicer. l. 1. de Divin. aut locus, in quo nummi cuduntur, ut l. 2. C. de vet. numiſm. & l. 2. Cod. de falſ. Mon. ſed pro illo humanæ ſocietatis inſtrumento, per quod juxta certam exiſtimationem commercia juvantur. Dicta vero eſt à monendo, ſive quod moneat de Authore, qui jus habet eam cudendi & æſtimandi, ſive de pretio, ſive etiam quod de præſentibus temporibus futura ſecula commonefaceat. Hujus uſus, ut etiam nummorum, ab initio rerum, non invaluit, nam, ut quam præclare IC. Paulus in l. 1. ff. de Contrah. empt. *Olim enim non ita erat nummus* (inquit) *neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: ſed unuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum, utilibus, inutilia permutabat. Quandoque plerumque evenit, quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper, nec facilè concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cujus publica atque perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis ſubveniret, eaque materia forma publica percuſſa; uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate. Nec ultra merx utrumque, ſed alterum pretium vocatur.* Videtur hoc jus deſcendere è jure, quod omnibus gentibus commune eſt (quod alibi oſtendimus eſſe jus naturale) non quod

gentes omnes, uno & eodem tempore eam invenerint, ſed quod ab aliquibus inductam, cæteræ gentes tacito conſenſu approbarint, prout recte obſervat *Ant. Fab. de re num. c.* 1. cum enim hominum indigentia commercia quæque inveniſſet, eaque beneficio permutationis (quam Germanos pecunia & metallis deſtitutos exercuiſſe refert *Tacit. de mor. German.* atque ad eum locum eleganter *Althamerus*, etiamnum Lappos Sylveſtres *Sigiſ. Baro in deſcript. Glac. Ocean.* item Moſcovitas *Sigiſm. in hiſt. Moſcovit.* Indos utroſque ante adventum Hiſpanorum *Martyr. lib.* 10. *det.* 3. Romanos cum Barbaris celebraſſe, *l.* 4. *C. de commerc.* & Tilenſes aliaſq; plurimas adhuc profiteri accepimus) in alios transferret, neque hic haberet quod ille deſideraret, neque commode in diſtantias locorum transportari poſſent illa, per quorum permutationem remotæ quoque gentes ſibi invicem ratione deſideratorum ſuccurrere poſſent, accedente amplius inæqualitate mercium; optima ſane ratione, tanquam organon aliquod, inventus eſt nummus. Quanquam vero uſus monetæ juri Gentium à nobis convenienter vindicatus eſt, nihilominus jus hoc pariter iis vindicatur, quibus & Majeſtas, ne videlicet quilibet privatus nummos cudat, prout doctiſſimus Carolus Molinæus egregie docet *de Vſur. qu.* 92. *num.* 605. Juris hujus Imperatores Romani, ut & ſimilium quoque, ambitioſi admodum vindices fuerunt. Concinne alibi Imp. ait. *In monetis tantummodo noſtris, cudendæ pecuniæ ſtudium volumus verſari.* Et Ælius Lampridius: *Antonio Diadumeno ad imperium evecto ſtatim apud Antiochiam moneta Antonini nomine percuſſa.* Unde etiam inſignia nummorum, maximè ad probationem ſuperioritatis, conducunt. Porro vulgo quatuor qua Icc. qua Politici Doctores in Moneta requirere ſolent: Materiam, pondus, æſtimationem, figuram: quod ſecundum ratiocinium non modo Juridicum & Politicum, ſed variorum quoque Theologorum *probatur ex Geneſ. c.* 23. *v.* 15. *&* 16. Ubi Abrahamus Ephron pro ſepulchro 40. ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ appendiſſe dicitur. Alij autem tribus ſunt contenti, ſcil. materia, quoad valorem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

rem; forma, quoad autoritatem; pondere, quoad uſum, *per l.1. C. de vet. num. Nov. Leon. 52. & ibi Gothofr. l. 1. ff. de contrab. empt.* Non immerito vero curam monetæ ſupremæ poteſtates ſibi vindicant, intereſt ſiquidem reip. ut patet ex dictis LL. ut pretia nummorum certa ſint, iiſque reſpondeat æqualitas ponderis & ſpeciei. Unde & Imperatores graviter monetarum adulteratores caſtigare ſolent: qui tamen jam olim, tempore Principum priorum Romanorum, variis modis hoc exequi ſolent: aut miſcendo & adulterando inter ſe metalla, ut aurum argento, argentum ære, æs plumbo; aut adulterinam monetam clam exercendo, prout quoſdam ſub Conſtantino feciſſe, teſtis eſt lex 2. Cod. Theod. de falſ. Mon. aut ſecernendo ſeparandoque metalla, V. C. argentum ab ære, quemadmodum monetarij nonnulli ſub eodem Conſtantino faciebant, ut indicat lex VI. tit. eod. his verbis: *Comperimus nonnullos flatuarios, majorinam pecuniam non minus criminoſe, quam crebre ſeparato argento ab ære purgare.* de qua Majorina pecunia conſulendus Salmaſius ad Hiſt. Auguſtam. Plura de jure Monetarum ξὺν Θεῷ alio tempore proponemus. Ei cohæret jus nundinarum, quas, qui Majeſtate gaudent, pro poteſtatis ſuæ plenitudine conſtituere poſſunt, quod durante earum ſolennitate, perſonæ & bona debitorum à creditoribus ſuis, prætextu privati debiti, etiam volentibus, ex ſingulari privilegio arreſto gravari, aut detineri nequeant. Verba Impp. leg. unic. Cod. de Nundinis referre animus eſt: *Qui exercendorum mercatuum, aut nundinarum licentiam, vel veterum indultu, vel noſtra autoritate meruerunt: ita beneficio reſcripti potiantur, ut nullum in mercatibus, atque nundinis ex negotiatorum mercibus conveniant, vel in venalitiis; aut locorum temporali quæſtu, & commodo privata actione ſectentur, vel ſub prætextu privati debiti, aliquam ibidem concurrentibus moleſtiam poſſunt inferre.* Unde etiam liberæ nundinæ vulgò dicuntur.

LXXIX. Superſunt adhuc varia Majeſtatis jura, (aut, ut vulgo vocant, *Regalia*) quæ cum longum foret ſigillatim conſiderare, ſuffecerit eadem enumeraſſe. Ergo ad regalia majora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

(loquimur ex mente aliorum, neque enim agnoſcimus, prout ſupra oſtendimus, vulgarem diſtinctionem) referri ſolent, quæ ſequuntur: I. Jus erigendi Academias, ſive Univerſitates: (diſtingui debent ab inferioribus ſcholis) quibus cum conſueverint privilegia, & aliqualis quoque juriſdictio in Scholares concedi, requiritur authoritas ſuperioris Magiſtratus, ſive illius, qui agnoſcitur cum majeſtate. 2. Jus civitatem aut condendi, aut etiam muniendi. Hinc Tacitus lib. 5. Hiſt. cap. 6. *Iudæi empto jure muniendi, ſtruxere muros in pace, tanquam ad bellum.* Superioritatem quoque urbibus concedere Principum eſt. De urbe Beryto ſic Impp. l. un. Cod. de Metr. Beryto: *Propter multas juſtaſve cauſas Metropolitano nomine, ac dignitate civitatem Berytum decernimus exornandam, jam ſuis virtutibus coronatam. Igitur hæc quoque metropolitanam habeat dignitatem, ita ut nihil Tyro de jure derogetur. Sit illa mater provinciæ,* id eſt, urbs matricularis, *majorum noſtrorum beneficio.* 3. At cum verum ſit illud Juvenalis ſat. 10.

> ---*Quis enim virtutem amplectitur ipſam,*
> *Præmia ſi tollas?*

Ille quoque, qui Majeſtate gaudet, de iis in dignos conferendis ſollicitus eſſe debet: cur enim eorum *non habeat magnam rationem,* quum ſecundum Ciceronem Ep. 6. ad Brutum, *remp. contineant.* Gnarum erat antiquis Romanis, de quibus ita Paterculus lib. 2. cap. 128. *loquitur*: Neque novus hic mos ſenatus populique Romani eſt, putandi, quod optimum ſit, eſſe nobiliſſimum: nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos trecentos, Titum Coruncanium hominem novum, cum aliis omnib. honoribus, tum pontificatu etiam maximo, ad principale extulere faſtigium, & equeſtri loco natum Spurium Carvilium & mox Marcum Catonem, novum etiam, Tuſculo, Urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in conſulatus, cenſuras, & triumphos provexere, &, qui Caium Marium, ignotæ originis, uſque ad ſextum conſulatum ſine dubitatione Rom. nominis habuere principem; & qui Marco Fulvio tantum tribuere.

buere, ut pœnè aſſentatione ſuâ quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Aſinio Pollioni negaverunt, quod nobiliſſimis, ſummo cum ſudore, conſequendum foret, profecto hoc ſenſerunt, in cujuſcunque animo virtus ineſſet, ei plurimum eſſe tribuendum. *Hactenus Paterculus*. Poſtea Principes hoc ſibi arrogarunt. Prout liquet ex l. 1. ff. de Conſtit. Princ. Cui conſequens eſt, ratione poteſtatis, quam Princeps ſibi arrogavit, neminem privatorum, ſine auctoritate illius, titulos aut inſignia dignitatis uſurpare poſſe. Hinc etiam Princeps, aut qui ei, ratione delegatæ Majeſtatis æqualis eſt, gaudet jure conferendi nobilitatem civilem. Ideo Impp. dicunt, hos *talem prærogativam ſuæ juſſionis mereri*, l. 3. §. 2. Cod. ubi Senat. vel clariſſ. Curare vero debet is, qui jus hoc exercet, ne aliis ejuſmodi nobilitatis privilegia conferat, quam quorum virtus ad eadem accipienda conſpiraverit. Nam, ut egregie ait Juvenalis ſat. 8.

---quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis?

Huc pertinet quoque jus legitimandi, vulgo juribus Majeſtatis accenſeri ſolitum, quod peragi conſueverit, precibus à patre filij naturalis Principi oblatis. 4. Ut præmiorum diribitor Princeps, ſeu is, qui ei ſecundum delegatam Majeſtatem reſpondet, ita pariter quoque pœnarum. Hæc duo quippe vincula ſunt civitatis: quare & Democritus, teſte Plinio lib. 2. Nat. Hiſt. cap. 2. ea, velut duo Numina coluit. Huc pertinet illud Pauli Ic. l. 1. §. 1. ff. de I. & I. *Bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes*. Eoque, quibus competit poteſtas leges ferendi, iis competit quoque jus pœnas irrogandi, quum legis quoque vis *in puniendo conſiſtat*, l 7. ff. de LL. & *legibus ſint inſertæ*, l. 5. Cod. eod. imo *legibus, edictove erogentur*, l. 42 in pr. ff. de bon. libert. 5. Ad jura Majeſtatis pertinet quoque jus legationis. A Romanis rem totam licet cognoſcere, qui hoc jus ſoli uſurparunt, neque ulli civitati ſubjectæ, aut populo ſuis

lo ſuis armis devicto & in provinciam redacto, conceſſerunt, neque ulli inferiorum magiſtratuum indulſerunt. Idem ex Achæorum Rep. animadvertere licet. At quid illi? Cùm Lacedæmoniorum vires infregiſſent, ſibique eos ſubjeciſſent; *teſte Pauſania*, jus legationis iiſdem denegarunt. Quod cum Appius, qui arbiter conſtitutus erat, autoritate S. P. Q. R. reddere illis vellet, ſumma contentione reclamarunt Achæi, legationis mittendæ jus ad Lacædæmonios non redire poſſe, quorum domini ſuperiores ipſi facti eſſent, ſed ſuum nunc illud eſſe. At, nonne ex provinciis Legatorum concurſatio fermè Romam quotidie, dicet aliquis? At reſpondeo, Legati illi non erant, ſed tales, qui tantum officij gratiá ire compellebantur: Soli autem illi Reges & populi, Roma prædominante, legationem mittere ritè poterant, qui populum Romanum non agnoſcebant. *l.17.ff.de legationib.* Quales erant Perſæ & Parthi, Mithridates, Carthaginenſes, & ſimiles. Hoc populi Romani jus ad Imperatorem derivatum omne poſtea eſt, aut potius, ab Imperatore prætextu legis Regiæ arreptum. Quod ad modernum Imperatorem Romano-Germanum (ſecundum Hippolithum à Lapide l. d. part. 1. cap. 14. ſect. 2.) duplici ratione cenſeri poteſt legatos mittere, vel in particulari negotio, vel in re communi totum imperium concernente. Illius reſpectu, per ſe ſolum legatos poteſt mittere, non tamen ex aliquo privilegio, hoc enim & licet ſingulis imperij membris: at hujus ratione, ut dictus Author loquitur: *Legati, non niſi omnium Ordinum, & totius Imperij autoritate, mitti poſſunt, aut debent: Adeoque inſtructio, & fines mandati, intra quos continere ſe debent, à toto illis imperio præſcribendi ſunt.* 6. Amplius ad hæc jura Majeſtatis pertinet Feudi collatio, (in præſens non eſt operæ pretium, in originem Feudorum inquirere) quæ olim peragebatur per oblationem vexilli. Hinc Otho Friſingenſis lib. 2. cap. 5. *Antiquitus regna per gladium, Provinciæ per vexillum tradebantur.* Arguit vero hæc ſupremam poteſtatem, atque modernus Imp. hoc jus per ſe ſolus uſurpat, in Feudis quoque majoris dignitatis,

uſque adeo, ut hæc Feuda, tempore Inrerregni, ne quidem à proviſoribus Imperij conferri queant. Poſtremo ad hanc claſſem refero Comitia, à coëundo ſic dicta, quod ſcil. aut illi, quibus competit per ſe Majeſtas in unum locum coire ſolent, ad deliberandum de publicis negotiis; aut illi, quibus delegata eſt Majeſtas, una cum proceribus, à quibus exercitium Majeſtatis indepti ſunt, conveniant ad communia conſilia. Hæc Comitia (alias Parlamenta in Gallia & Anglia dicta) in imperiis Monarchicis, probe conſtitutis, ſi non vigeant, ſaltem eorundem aliqua ſpecies occurrit. Romulus, qui Romanis ſuis, *ut lubitum imperavit*, teſte Tacit. lib. 3. Ann. cap. 26. non omnia manu regia expedire voluit, ſed Senatum conſtituit; ut eſſent, quorum conſilio Rempubl. adminiſtraret, ſecundum Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2. Antiq. Rom. Idem *populum omnem in triginta partes diviſit, quas partes Curias appellavit: Propterea, quod Reipubl. curam per ſententias earum partium, expediebat.* ut utar verbis Pomponij Ic. l. 2. §. 2. ff. de Orig. Jur. Sic Julius Cæſar, communicata re cum primoribus, aut toto aliquando ordine Senatorum, decrevit varia, ut refert Dion lib. 43. Auguſtus, in ferendis Legibus, multa publicè deliberanda propoſuit, eodem Dione aſſerente lib. 53. At eodem longe aſtutior & tectior Tiberius, mox ſcil. ab exceſſu Auguſti, *vim principatus ſibi firmans, imaginem antiquitatis, Senatui præbebat; poſtulata Provinciarum ad diſquiſitionem Patrum mittendo: Publica negotia, & privatorum maxima apud Patres tractabantur: dabaturque Primoribus diſſerere: Imò, neque tam parvum quicquam, neque tam magnum, publici, privatique negotij, de quo non ad Patres conſcriptos referretur.* Prout hæc præter Suetonium in Tiberij vita, dilucide exhibet Tacitus, lib. 3. & 4. Ann. Atque eadem obſervaſſe ſequentes Impp. tot eorum orationes, quas in Senatu habuerunt, (credo tamen dicis potiſſimum cauſſa) clariſſime evincunt. Rationem tangunt in l. 8. Cod. de Leg. Theodoſius etiam & Valent. Impp: *Bene enim cognoſcimus, quod cum veſtro, id eſt, procerum concilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem*

imperij

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

imperij & Imperatoris gloriam redundare. Nec gratius quidquam po-pulo evenire poteſt. Subditi enim (exhibiti in illis, qui dele-gant Majeſtatem) ſi animadvertant tantum ſibi tribui, ut in partem curarum & conſiliorum aſſumantur, plura animo libero efficient, præſtabuntque, quam ſi, nullam rerum habentes notitiam, urgerentur. Ejuſmodi etiam placita à Carolo M. (hic & Imperator fuit, & Franciæ Rex) ſtatis vicibus, quotannis habita ſunt; in quibus res ſingulæ, ad effectum perductæ, glo-rioſi Principis auditui in ſacris ejus obtutibus exponebantur, & quicquid data à Deo ſapientia ejus proponebatur ad eligendum, omnes ſequebantur, prout colligitur ex Hincmari epiſtolis. Nec minùs in Galliâ Ordinum publici Conventus olim uſitati fue-runt. Quia verò monarchicæ Regis poteſtati obſtare aliquate-nus videbantur, ſuppreſſi ſunt. Aliquod tamen eorum veſtigium remanſit, quando poſteà ad Senatum Parlamenti Pariſienſis, à Regibus, ubi aliquid magni decernere voluerunt, ibatur. Quodipſum quoque rariſſimè poſtea fieri conſuevit, quando ſo-lus Rex pro ſuo judicio, quidvis decernere ſolitus eſt, licet (ut ſupra quoque oblique innuimus) hoc etiam ſeculo Parlamen-tum ſubinde auſit obnunciare. Quo minus vero voto potiatur, quid obſtat, niſi Aula? à cujus favore dum pendent homines hu-jus ſeculi, ut ſcil. promoveantur, invito licet Cælo (formula compellor uti profana, ex Italia deſcendente, atque hoc ſeculo u-ſitatiſſima) conſilia, quæ publice plurimum forte prodeſſent, abeunt in fumum. Sed, me contineo, ne videar ἀλλοτριεπίσκο-πος, atque, pro dolor! in Belgio ipſo amplam gemendi ſegetem offendo. In Anglia Parlamentum vires reſumpſiſſe, atque inſtar aquilæ cæpiſſe juveneſcere, orbi nimis quam notum. Modera-ta & prudentia conſilia, publico bono utinam ſemper ſerviant! At moderatio & prudentia, ſecundum hunc finem raro auſpica-to coëunt. quod ſi docere deberem, ſimul novus inciperet liber. Ergo, ut hanc Theſin finiam, Comitiorum convocatio eſt Ma-jeſtatica, atque eſt argumentum non poſtremum Majeſtatis, ut dele-ga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

delegatæ. Germanici Imperatoris hæc Majeſtas quidem ſumma (hactenus ſcil. quod ad delegationem) interim ejuſdem authoritas circa convocationem Comitiorum Imperialium parum ſolet curari, niſi intervenerit Electorum approbatio.

LXXX. Præter hæc jura Majeſtatis, quæ hactenus conſideravimus, à Politicis & juris publici Doctoribus, quædam alia adhuc, velut minora Regalia, enumerari ſolent. Cæterum ſi quis rem recta putet via, ea non tam jura Majeſtatis eſſe, quam potius ad jus fiſcale, atque proventus reip. pertinere liquebit. Quis enim aliud cenſeat de jure armandiæ, molendini, poſtarum, &c. item de reditibus ſalinarum, piſcationum, ſimilibuſque: eoque hiſce miſſis, breviter duo ſolum expendam: jus venationis ſcil. & illud quod ſupremi domini ſibi arrogare ſolent in bona naufraga. Quod ad venationem enim, jure quæritur, an eâ privatis jure potuerit interdici? Vulgo hæ rationes adferuntur. Ne genera animalium innoxiarum continua venatione extirpentur. Tenuioris fortunæ homunculi impenſarum ad venationem pertinentium effuſione abſtineant. Ruſtici agriculturam pro venatione non deſerant, cujus reipublicæ intereſt. Atque etiam ut agreſte genus armis arceatur, quorum uſus, atque aliis extra nobilitatem, atque militiam degentibus, interdictus eſt. Et operatores diligentes pro reipub: commodo, familiæ ſuæ ſuſtentaculo artes ſuas exerceant, ne venationis atque otii dulcedine capti, interim ſe, ſuaque capi ab inopia, dum capere ſtudent, patiantur. Nec argumentum, quod vulgo adduci ſolet ex cap. 1. & 9. Geneſ. contrarium ſuadere poteſt. Nam quamvis Deus non modo Adamo ante lapſum, verum etiam Noacho & poſteris illius, poſt diluvium, liberum uſum ferarum quoque conceſſerit; jure merito tamen Magiſtratus legitimus ob juſtas cauſas, magnam partem modo enumeratas, quibuſdam interdicere potuit, ne feras caperent. Sed lubet preſſius reſpondere. Ergo 1. dico inconſequens hoc eſſe, quod quæ DEUS conceſſit, illa ex cauſa juſta & utilitate Reipublicæ non poſſint reſtringi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

non Deus Adamo quoque omnium rerum conceſſit dominium, non tamen concludendum, communionem tolli non poſſe? Hoc eſſet probandum, quod DEUS ita Adamo & poſteritati conceſſerit dominium ferarum & Venationem, ne illa eidem auferretur. Quæ juris divini prohibitivi ſunt, illa homo interdicere nequit, ut V. C. Non occides: Non furtum facies. At ubi apex in Bibliis de prohibita interdictione Venationis? Dominus quidem re ſua liberè uti poteſt, ſecundum jura; ita tamen, ut ſi abuti incipiat re illa, & abuſus vergat in damnum Reipublicæ modus iſte diſponendi reſtringi à Magiſtratu queat. At verò abuſi erant Venationibus homines privati ad turbandam pacem publicam, & ad internecionem aliorum & jacturam rei domeſticæ. 3. Argumentum hoc concluderet, ſi etiam uſum ferarum privatis ademiſſent Principes, quod tamen non eſt factum. Tantum enim probat, DEUM uſum ferarum homini conceſſiſſe, & illum eidem non eſſe auferendum, quod poſſumus dare. At hactenus nil contra nos concluditur. Non enim Principes uſum ferarum interdixerunt, ſed venationem tantum. Non ſtringit, ſi quis dicat, propter interdictam venationem cenſeri etiam interdictum uſum, cum ſine illa ad hunc pervenire non queamus, quod negato antecedente, negetur etiam conſequens, ſine quo ad conſequens perveniri nequit. Negamus ſiquidem conſequens: poſſunt enim uti frui feris captis à Principe, quem toto die feras alicubi per ſuos vendere videmus. Excipis forte, at jam dandum eſſe precium, cum tamen à Deo uſus ferarum ſit conceſſus gratis? Replico: precium à Principe vel Nobili accipi non tam pro ferina, quàm ſumptibus, quos cogitur facere, ut V. C. cervos vel lepores capiat. Quot enim alendi canes? quot miniſtri? quot comparanda retia? Et tantum quidem, de priori quæſtione. Quod ad alteram quæſtionem, quicquid alij in contrarium ſentiant, & quicquid etiam in praxi alicubi obſervetur: exiſtimo nefas & admodum injuſtum eſſe, ut bona miſerorum naufragorum in Fiſcum trahantur. Nonne enim periniquum eſt, calamitoſos

abſque ſuo facto re ſua privari: & fiſcum ex alieno diſpendio ſuum quærere compendium? unde qui cum humanitate aliquod commercium habent, hunc morem ut planè barbarum atque injuſtum paſſim damnant. *vid. Grot. de jure belli & pac. lib. 2. cap. 7.* Imo contra Chriſtianam prorſus Charitatem eſt, cujus afflicta fortuna noſtrâ ope eſſet erigenda, eum ulterius deprimere & ad incitas redigere. Sed audio, quidquid hîc inhumanum injuſtumque habetur, de privatis, proprio inſtinctu abſque autoritate pub. res naufragas rapientibus, accipiendum eſſe, Principum atque Megiſtanum adulatores occinere, non vero de ipſis Principibus ac liberis Rebuspub. quibus bona naufragio ejecta & in littus eorum expulſa, quaſi ipſa natura attribuente, in ſinum ipſorum & fiſcum cadant: id quoque eſſe partem dominij maris: id jure portus & littoris Fiſco deberi. Verum non eſt, quod hinc maris dominium ſtabilire velint: cum ſit injuſtus adquirendi titulus, occupare quod aliorum eſt, non ſponte, ſed neceſſitate ejectum. Seldenus lib. 1. Mar. clauſ. c. 18. p. m. 148. *Diviſio illa rerum è pelago extractarum, ſimpliciter conſiderata, non magis aſſerit dominium ullum in ipſo mari, quam prædæ cujuſcunque maritimæ, ab hoſtibus ereptæ decima.* Aut ſi quis dominium in littus vel mare ſibi arroget, portuſque iſthic habeat, non tamen majorem habet facultatem res naufragas capiendi & ſibi retinendi, quam quilibet alius. Dominium enim littoris, portus, aut maris nulli dat jus alicui ſuum abſque juſta cauſſa auferendi. *Non ferri ad alienum, & ſuum cuique tribuere*, eſt generalis lex Dei & naturæ, quæ omnes obligat. Si verò bona naufraga in littus ejiciantur, hoc eſt ſingulare Dei & naturæ Deo famulantis beneficium, non permittentium ea ſpolium maris aut aliorum fieri, ſed repetentibus dominis ut ſolatium amiſſorum adverſæque fortunæ cedere. Bodinus lib. 1. de Repub. c. ult: *Barbarum*, inquit, *& antiquis inuſitatum eſt, ut cujus opes ac fortunæ naufragio miſere perierint, & quem noſtris opibus ſublevare debeamus, ejus reliquias quas ad littus ejectas bona fide reſtitui oportebat, turpiter diripi patiamur. Sic tamen vivitur, ut*

qui portus habent (loquitur de quorundam populorum, non omnium, moribus) *eam crudelitatem tum in cives, tum peregrinos exſequantur. Ius quæris? error jus facit at ſi non peccatur errore, ſed ſcientia, ſcelus eſt, quod erroris ſpecie prætenditur.* Grotius hic memoria lapſus videtur, quando in notis ad lib. 2. de jure bell. & Pac. c. 7. §. 1. ait: *Quid in mentem venit Bodino, ut talia defenderet?* Non defendit hæc Bodinus, ut videmus, ſed acriter carpit. Neceſt, quod patroni hujus moris ſe tueantur illo Juvenalis Sat. 4.

Res fiſci eſt, quodcunque natat;

hoc enim habet authores Palphurium & Armillatum, delatores & aſſentatores Domitiani: atque utinam hodie ſectatores non haberent in aulis virorum principum. Quanto juſtius Impp Hadrianus & Antonini decernunt, licere unicuique naufragium ſuum impune colligere. l. 7. l. *ult.* D. *de inc. ruin. naufr.* & Antoninus in l. 2. C. de Naufrag. *Si quando, inquit, naufragio navis expulſa fuerit ad littus, vel ſi quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat; Fiſcus meus ſeſe non interponat.* Quod enim jus habet fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur? Ex hoc æquitatis fundamento Rex Poloniæ Sigiſmundus anno MDXCVIII. decidit, ut res ex naufragio receptæ domino illarum reſtituerentur. Gail quoque lib. 1. Obſ. Pract. c. 18. n. 6. teſtatur, mandata ſine clauſula contra conſuetudines de bonis naufragis, jure littoris Fiſco addicendis, in Camera Imperiali non ſemel decreta fuiſſe. Laudandus vero præ aliis Carolus V. Imp. quod conſtit. crim. 218. per univerſam Germaniam abrogarit conſuetudinem, ſecundum quam Fiſcus vindicare ſolet naufragorum miſerandas reliquias: item iſtam, qua vindicabat ſibi currum cum equis & mercibus, ſi forte ſubverſus hominem oppreſſiſſet.

LXXXI. Explicatis hactenus Majeſtatis juribus, quæ ſupra Th. 65. oſtendimus quoque Regalia vocari, obiter verbum hoc conſiderare debemus: eſt vero illud Barbarum, & antiquis Icc. ignotum. In libris Feudorum, ſeu Conſuetudinum Feudalium,

ſium, ſcil. lib. 2. cap. 66. occurrunt *Regalia*: atque, ſi excipias *poteſtatem conſtituendorum magiſtratuum*, eo capite ad eas non referuntur niſi minora jura Majeſtatis, eaque, quæ ſuperiori Theſi obiter conſideravimus, oſtendendo ea minus convenienter juribus Majeſtatis accenſeri. Nomen vero habent à Rege, quo Titulo in Jure Feudali, vulgo Imperator condecoratur, quum alias in Jure Civili κατ᾽ ἐξοχὴν *Princeps* vocetur, prout patet vel ex l. 1. ff. de Conſtit. Princ. eoque, ſi verbum ipſum reſpicias, fuerint proprie illa jura, quæ in ſignum ſuperioritatis, ac præeminentiæ Imperatori Romano fuerint conceſſa, ad dignitatem imperij conſervandam, & tuendam. Cæterum latius verbum patet, atque regalia, ut & jura Majeſtatis, non modo competunt Imperatori, verum etiam omnibus aliis, qui ſuperiorem non agnoſcunt. Imo conceduntur quoque per delegationem inferioribus, ab ipſis ſupremis Magiſtratibus, quibus prius Majeſtas à Deo per populum, ſive illos, qui hunc repræſentant, collata fuit. Putarim potius jura hæc regalia dici, quod ſint auguſta ac ſplendida, regiæque perſonæ convenientia. Quomodo Græci omnia, quæ ſunt ſplendida & pretioſa βασιλικὰ vocare ſolent. Imitatus eſt ſæpius Plautus. Sic legas in Epidico: *Quid erat induta? regillam induculam, an mendiculam?* Regilla veſtis diminutive dicta eſt à regia. Nonius ex Varrone: *Regillam tunicam diffinditur purpura.* Similiter Plautus Pænulo. 3. 1. *Baſilice inſtructus incedit.* Hoc eſt, ſplendide, atque inſtar Regis. Contingunt vero inferioribus hæc Regalia à ſuperiori, vel conceſſione expreſſa, dum hic ea in Feudum dat, aut per ſe ſola, aut una cum aliis; vel tacita, dum patitur quem iis uti, atque ita utendo quaſi poſſidere & præſcribere. Quod enim hæc poſſint præſcribi, non licet dubitare: quoniam ratio, quæ illud ſuadet, ſatis firma eſt; talis ſiquidem præſcriptio in jure habet vim privilegij, à Principe expreſſe atque ex certâ ſcientiâ conſtituti, item legis & pacti, *ff. l. 3. §. 4. de aq. quotid. & æſtiv. l. 1. §. fin. l. 2. §. 7. de aq. & aq. pluv. arc.* & inducit præſumptionem juris & de

jure, quæ non admittit probationem in contrarium. *l.1. de præſcript.* Cui conſequens eſt, & Majora (ut vocant) Regalia præſcribi poſſe, juxta *Peregrinum lib. 6. de jur. fiſci cap. 8. nu. 14.* nihil ad rem facientibus Bodini ratiocinationibus *cap. 10. lib 1. de Rep.* ubi tradit JCtorum communi quodam decreto conſtare, talia jura nulla temporum diuturnitate præſcribi poſſe: in quo, ut & in multis aliis fallitur.

LXXXII. Videri poſſemus, omnia, quæ ad Majeſtatis conſiderationem pertinent, plene pertractaſſe, niſi ſupereſſent quædam prudentiæ Monita, hac Th. & ſubſequentibus breviter proponenda. Ergo, conſiderata Majeſtate in ſe, & ſubjective tum citra delegationem, tum ſecundum hanc, convenienti certis quibuſdam hominibus, quatuor potiſſimum curari debent, ne dono, quo per ſolum Deum, ſeu immediate ſeu mediate gaudent, mulctentur. 1. Scrupuloſe obſervent, ſe prærogativam Majeſtatis à ſolo Deo accepiſſe, & conſequenter quoque ſupremum, quo gaudent, dominium. Inde dicit Juſtinianus Imp. in principio Novel. 73. DEUM *Imperium de cœlo conſtituiſſe.* Quod ipſum etiam indicat Tertullianus in Apolog. *Inde eſt Imperator*, inquit, *unde & homo, antequam Imperator: Inde poteſtas illi, unde & ſpiritus.* Itaque *Principes Imperium à Deo habent, eoſque inſtar Dei eſſe*, haut ambigendum ſecundum Tacit. lib. 3. Ann. 36. &, *quicquid dominatur vim habere Dei* juxta Artemidorum lib. 2. cap. 37. Aut verius quis dixerit, *Principes miniſtros eſſe Dei ad curam ac ſalutem hominum, ut bona, quæ Deus illis largitur, partim diſtribuant, partim ſervent*, cum Plutarcho de doctr. Princ. II. Ut ergo Majeſtatem imperiumque à Deo habent, cogitent pariter ſe immerentes illa ipſa conſecutos eſſe, dicendo cum illo apud Senecam lib. 1. de Clem. *Ego ex omnibus mortalibus placui electuſque ſum, qui in terris Deorum vice fungerer*, &c. & conſequenter, ut ſunt, teſtimonio quoque Scripturæ Dii (Pſal. 82. 6.) laborent tanto meliores eſſe reliquis, ſeu populis ſervitutem ſervientibus, ſeu iis, qui ætatem in obſcuro tranſigunt; quanto Deus

ſanctior eſt omnibus hominibus. Cogitando ipſam naturam quoque (ſecundum cujus ductum primordio rerum imperia mandari ſolent) idem quoquo ſuadere. Præclare Seneca ep. 20. *Naturæ enim eſt deteriora potioribus ſubmittere: ideoque ſumma felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior eſſe, niſi melior: tantum enim quantum vult poteſt, qui ſe niſi quod debet, non putat eſſe. Illo ergo ſæculo quod aureum perhibetur, penes ſapientes fuit regnum.* Quod & Philoſophus lib. 5. Polit. cap. 10. indicavit: Reges, inquit, *olim eligebantur* ἐκ τῶν ἐπιεικῶν *ex viris bonis, propter* ὑπεροχὴν *excellentiam vitutis, aut rerum ex virtute geſtarum:* Quo reſpectu Arrianus Epicteti Diſſert. lib. 3. cap. ult. egregie per Interpretem loquitur: *Qui enim in univerſum vitæ degendæ ſcientiam eſt aſſecutus, quid aliud eum eſſe oportet, niſi rectorem & Dominum?* III. Hinc faſtus atque ſuperbia, tum ab iis, quibus competit Majeſtas, tum etiam illis, quibus eadem delegata eſt, quam procul remota eſſe debent. Superba illa Nebucodonoſoris vox: *An non hac eſt Babylon illa magna, quam ego ædificavi, ut eſſet regia & ornamentum decoris mei, robore potentia meæ?* Dan. 4. 30. quam magno illi non ſtetit? Eoque ſemper in oculis habeatur Deus, qui *transfert reges, & conſtituit reges,* Daniël. 2. 21. Certe ſecundum Lucretium lib. 3.

Vſque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſces, ſævaſque ſecures
Proculcare ac ludibrio ſibi habere videtur.

Nec fruſtra eſt Fl. Vopiſcus in Caro, quando aſſerit, *fato Rempubl geri, & nunc ad ſummum evehi, nunc ad minima retrahi?* Pariter Prudentius lib. poſt. in Symmachum:

---- Sicut variæ naſcentibus---
Contingunt pueris animæ; ſic urbibus affert
Hora, dieſque ſuum, cum primum mœnia ſurgunt:
Aut fatum, aut genium.

Hoc interea obſervetur, quod quando Divino decreto ruina Imperiis, & Rebuſpubl. impendet, ſoleat ſecundum Tacitum lib. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

lib. 3. Ann. *malum extremum Diſcordiæ præcedere*, docente etiam; & aſſerente Vegetio: *Civile odium ad inimicorum perniciem præceps eſt; ad utilitatem ſuæ defenſionis, incautum.* Recte: *nam in civilibus diſcordiis, haud dubie ab utraque parte Reſpubl. detrimentum capit.* Atque ea quidem *Diſcordia* oritur ab rebus, plerumque nimium lætis, & ad ſummum fœlicitatis gradum perductis. Nempue juxta Tacitum lib. d. *arduum eſt, eodem loci, potentiam, & concordiam eſſe.* IV. Quæcunque ergo reſp. à Deo Majeſtatem accepiſti, imo quicunque procurante Deo per remp. majeſtatem delegatam indeptus, obſerva illud, quod Seneca monet lib. de Tranq. Animi cap. 11. *Scito omnem conditionem*, inquit, *verſabilem eſſe, & quicquid in ullum incurrit, poſſe in te quoque incurrere.* Crede Princeps eventibus rerum humanarum. *Plena eſt exemplorum vetuſtas, plena etiam præſens ætas, qui Reges fœlicitatum calamitate mutarint. Quam opinionem ſi quotidie in memoriam revoces, teque dimittas ab excelſa poteſtate ad iſta humilia, ita te quadantenus adæquabis ſubditis, ne quid unquam offendat diſparitas.*

LXXXIII. Quo vero exorſam telam tandem pertexamus atque utilia alia monita, coronidis vice ſubjiciamus: iterum monemus, majeſtatem ſubjective conſideratam, non eſſe confundendam cum delegata, aut, quod eodem redit, agnoſcendam eſſe aliam majeſtatem imperantium, aliam reip. Norat Tacit. lib. 3. Annal. cap. 3. quando ait: *Principes mortales, Remp. æternam eſſe.* Imperantium vero Majeſtas, non inconvenienter ab eo adumbratur, quando lib. 13. Ann. cap. 56. ſic loquitur: *Id Diis, quos implorarent, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret, quid darent, quid adimerent, neque alios judices, quam ſe ipſos paterentur.*

LXXXIV. Ordine ut progrediamur, tria porro agemus. 1. Quæ conſideranda ſint in illo cui reip. Majeſtas delegatur. 2. Quomodo eam tutari debeat. 3. Quomodo à ſubditis eadem cum veneratione agnoſci debeat. Quod ad primum hic occurrunt tria monita. *Primo* perſonalis majeſtas (de qua dicebamus

Th. 2.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Th. 2.) haud leve ſubſidium adfert illi, cui majeſtatis committitur exercitium. Hinc veteres in eligendis Principibus ad formam quoque externam attendebant. Sic multum ritus externi in publicis nonnunquam valent, licet ſæpè ridiculi ſint, ſed quia plebs externis plurimum movetur. Quanta verò ſit Majeſtas Oris & formæ, apparuit in Auguſto, qui ſolo aſpectu terruit Actiacas legiones, *Tac. 1. An. c. 42.* Idem, cum aliquando præteriret militem gregarium, & ab illo caput atque oculos dimittente quæſiſſet, cur id faceret, reſpondit: Majeſtatem ejus humiles oculos ferre non poſſe, *ut innuit locus Sueton. in Aug. c. 79.* Ad Marium quoque interficiendum ſervus miſſus, majeſtate viri deterritus, intactum fugâ deſeruit. *Vellei. l. 2. c. 19.* Inde à forma quidam laudes Principes poſuerunt. Vetus Panegyriſta *ait*: *Auguſta tua forma eſt, Auguſte Imperator.* Et credibile eſt, naturam magnis animis egregia domicilia attribuiſſe, (in quam ſententiam *& Pacatus in* Panegyr. *c. 6. ait*: *Auguſtiſſima quaque ſpecies plurimum creditur trahere de cælo.*) Obſervatu quoque dignum eſt, quod habet Ammianus *Marcellinus lib.* 27. cap. 14. Conſurrectum (*inquit*) eſt poſt hæc in laudes majoris principis & novelli: maximeque Pueri (Gratiani) quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultuſque & reliqui corporis jucundiſſimus nitor, & egregia pectoris indoles, quæ Imperatorem impleſſet, cum veterum lectiſſimis comparandum: ſi per fata proximoſque licuiſſet. *Hæc Ammianus. Secundo* deſpiciatur, an cui delegatur Majeſtas, virtute tantum præcellat, quanto eſt illuſtrior, hoc enim ipſa natura ſuadet. *Naturæ eſt, potentioribus deteriora ſubmittere*, dicit Seneca ep. 90. ſic demum imperium erit tolerabile. Nec enim fruſtra dictum fuit ab Avito apud Tacitum lib. 13. Annal. cap. 56. *Patienda meliorum imperia. Tertio* providendum quoque in anteceſſum, an hi ipſi patiantur Majeſtatem ſibi deferri, ſolius reip. amore: &, an in illos quadret illud Salluſtii B. Jugurth. *omnibus bonis oportere plus gloriæ, quam divitiarum eſſe.* Unde bene in Excerptis Legat. cap. 24. Polybius: τὸ μὲν γὰρ ἀργύριόν ἐστι κοινόν τε

πάντων ἀνθρώπων κτῆμα, τὸ δὲ καλὸν, καὶ πρὸς ἔπαινον καὶ τιμὴν ἀνῆκον, θεῶν καὶ τῶν ἔγγιστα τούτοις πεφυκότων ἀνδρῶν ἐστι: *Pecuniæ namque communis eſt omnibus mortalibus poſſeſſio: honeſtas ac decus, & quidquid ad laudem honoremque ſpectat, Diis, & iis hominibus, qui ad illorum naturam proximè accedunt, convenit. Quid* vero *homini poteſt dari majus, quam gloria, laus, & æternitas?* ut uſurpem verba Plinij lib. 1. ep. 23. Quæ, ſi præ pecunia, ipſiuſque Majeſtatis externis exuviis, præſumpſerint imperantes æſtimare: næ indignis tantum decus commiſſum eſt. Quid vero, pro dolor! accidit? Ordinario verum eſſe deprehenditur, quod dicit Quintilianus Declam. 339. *Vtinam quidem fieri poſſet, ut ex univerſo populo rejicere, ac ſeligere liceret eos, qui parum prudentes, parum digni conſiliis publicis viderentur. Sed iſtud deprehendi, niſi experimentis non poteſt.*

LXXXV. In exercitio Majeſtatis obſerventur decem ſubſequentia monita. I. Qui ergo delegatam Majeſtatem habent, ante omnia ad famam attendere debent. Idque maximè principibus obſervandum docuit Tiberius apud *Tacit. 4. Annal. cap.40. Cæteris*, inquit, *mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent: Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda*, ſcilicet ut imperij ratio haberi poſſit. At optimè habebitur, ubi vires ejus majores, quàm revera ſunt, omnibus perſuadebuntur. II. Ut indigent miniſtris illi, quibus Majeſtas eſt delegata, ita in illos, Majeſtatis, quam acceperunt, quoſdam quoque radios transfundunt. Non debent vero illi transfundi in indignos, quia tanti fiunt ſupremi Magiſtratus, quanti illi ſunt, in quos transfunditur eorum autoritas. Quod ab Agricola probè obſervatum, qui nihil publici per ſervos aut libertos exequebatur. *Tacit. in vit. Agric. c.19.* Sæpè etenim ex Perſonis tantummodo, eſt actionibus publicis authoritas: Si ergo illæ ſunt viles, nulla quoque actionibus eorum autoritas erit. Peſſimè ergò Claudius, qui omnem ſuam poteſtatem in libertos transſcripſerat, *Tac. l.12. Ann. c.60. Sueton. in Claud. cap.28. & 19.* ut è contrario prudenter Tiberius, qui ad turbatas legiones filios pro-

proprios miſit, in quibus non tantum ſpecies, ſed & expectatio Majeſtatis fuit, *Tac. l. 4. cap. 47.* III. Tueantur dignitatem ſuæ perſonæ, nec per contemtum patiantur Majeſtatem vileſcere. Speciatim unuſquiſque hic audiat Martialem, &, *Nulli ſe faciat nimis ſodalem.* Hoc eſt, contemni ſe non patiatur: nam ſolent homines immoderatè & ingratè facilitate noſtrâ abuti. Id quod de Claudio Cæſare narrant, *adeò cauſſidicos patientiâ ejus ſolitos abuti, ut deſcendentem è tribunali non ſolùm voce revocarent, ſed & laciniâ togæ retentâ, interdum pede apprehenſo retinerent.* IV. Caput imperij nunquam deſerant, velut arcem Majeſtatis. Quod bene à Tiberio obſervatum, cui, ut *Tacit. l. 1. Ann c. 47. ait: immotum fixumque erat, non omittere caput rerum, neque ſe Remque publicam in caſum dare.* Vacua namque facillimè fiunt occupantis, at tum plures erant, qui occupare imperium geſtiebant. Quod verò de ſede Majeſtatis diximus, id & de aliis magnis in republ. locis accipiendum. Prudenter ergò Auguſtus apud *Tacitum l. 2. Ann. c. 60.* inter alia *dominationis arcana*, vetitis niſi permiſſu, ingredi Senatoribus aut Equitibus Romanis illuſtribus, *ſepoſuit Ægyptum.* Qui enim hanc provinciam occupâſſet, fame urgere Italiam poterat. V. Majeſtatis ſubalterni & inferiores miniſtri, omnibus modis coërcendi ſunt, nec committendum eſt, ut ſpecie obſequij invadant Majeſtatem. Et tamen ſæpius hoc factum eſt? Luculentius exemplum, quam Sejani eſſe non poteſt. Hic ſpecie utiliſſimi obſequij invaſit Tiberij majeſtatem: Perſuaſit enim ei, ſecuritatem principis requirere, ut diſperſos per urbis ſtationes prætorianos milites caſtris prætoriis extra urbem contineret, quia noverat, ſe præfectum eſſe his caſtris, atque ita omnia in poteſtate habiturum. *Tac. l. 4. A. c. 2.* Non ignoratum verò Romanis, quantum periculum ſit à miniſtris majeſtatis, ideoque ſemper ferè collegas eis dederunt, & quidem præcipue æmulos, ut unus alterius refrænaret cupiditatem: Unde idem quoque in præfecto prætorij obſervari ſuadet Mecænas apud *Dion. lib. 52.* Quod uſitatum Henrico magno Galliarum regi, à qui-

buſdam annotatum eſt. VI. Ad omnia ſua dicta & facta attendant, cogitando ab Aulicis, à miniſtris, à civibus quam diligenter ſe obſervari. Recte Seneca Tragicus in Agamemnone:

Pellucet omne regiæ vitium domus.

Similiter Cyrus lib. 8. Pædiæ, convenienter ſic diſſerit, apud filios & amicos ſuos: *Nam Dij vos caligine quadam non tegunt, ſed actiones veſtras in omnium mortalium luce ſemper verſari neceſſe eſt: quæ ſi puræ ſecretæque ab injuſtitia paruerint, potentes vos inter homines univerſos reddent.* Eoque, ex admonitione Plinij Panegyr. cap. 56. *Vita principis* (imo cujuſcunque qui Majeſtatem habet) *cenſura ſit, eaque perpetua:* nam *ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur.* VII. Quantum fieri poteſt, ſalva juſtitia, tueantur acta ſuorum prædeceſſorum. Tanti enim fiunt, quanti faciunt eos, quibus ſuccedunt. Quod obſervavit Tiberius, qui omnia Auguſti mordicus ſibi ſervanda exiſtimavit, & quot conſilia ejus erant, tot oracula ſibi reddita credidit. *Tac. l.* 1. *A. c.* 77. Ita Alexander nullam antiquiorem imperij curam habuit, quam necem Philippi vindicare; *ſuppl. Curt. l.* 1. *c.* 10. *n.* 18. Prudens ergo fuit Vitellius, quod percuſſores Galbæ puniverit, de quo *Tacit. l.* 1. *Hiſt.* 1. *c.* 44. Plures quam 120. libellos, præmia expoſcentium ob aliquam notabilem illa die, quâ Galba interfectus, operam; Vitellius poſtea invenit, omneſque conquiri & interfici juſſit, non honore Galbæ, ſed tradito Principibus more, munimentum ad præſens, impoſterum ultionem. Nimirum rectè idem *Tacit.* ubi de exitu Galbæ loquitur, *c.* 14. *ait*: Perpetratum tum ſcelus, cujus ultor eſt, quiſquis ſucceſſit. VIII. Hactenus ſi præcedentia obſervaverint, ſimul procurent, ut, à ſubditis obſequium & ſimul venerationem Majeſtatis ſuæ, potius per merita, quam precario conſequantur. Peccatum eſt ab Imperatoribus Romanis hac in parte, quod, cum non poſſent alio pacto ſubditos habere, domi promerebantur. De Auguſto *Tacit. lib.* 1. *An. c.* 2. dicit, eum populum annona, militem donis pellexiſſe. Et de Vitellio *idem, lib.* 3. *Hiſt. c.* 86. Amicitias dum magnitudine munerum, non con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

ſtantia morum continere putat, meruit magis, quam habuit. IX. Ubi ad extrema demum deventum fuerit, ſuprema Majeſtas opponatur, cæteroquin pars ſufficit, ſi non ſæpe quoque, ſola Majeſtatis ſpecies. Sic v. g. ſeditione in urbe vel exercitu ortâ, non eſt conſultum totam opponere Majeſtatem; quia ſi ſucceſſu deſtituatur, non eſt relictum aliud remedium: ſed partes majeſtatis, quibus ſpretis, demum integra opponenda. Senſit id Tiberius, ideoque ad tumultuantes in Germaniâ & Pannoniâ legiones, non ipſe ivit, ſed filios, quibus pars majeſtatis erat, miſit, & cum id vulgi ſermonibus laceraretur, ut obſtinatus nihilominus Romæ maneret, hæc ipſum ratio impulit. Hinc dicit ipſe apud *Tacit. l. 1. Annal. c. 47.* Reſiſtentes Germanico aut Druſo poſſe à ſe mitigari & infringi, quod aliud ſubſidium, ſi Imperatorem ſpreviſſent. X. Si aliter fieri non queat, nec refractarij aliter frænari poſſint, Majeſtatis leges (alias moderate ac circumſpecte exercendæ) quam ſevere executioni mandentur. V. C. Si quis perduellis eſſe deprehendatur, & adverſus Rempubl. conjuraſſe, poteſt ſummus Magiſtratus deflectere ab ordinaria actione & proceſſu adverſus reum, quia Reipubl. major eſt habenda ratio, quam legum: & non punitum confeſtim gliſceret amplius malum, & dum formulæ legum invocantur, leges perirent. (Exemplum vide ap. *Sueton. in Tito c. 6.*) Noſtra ætas ſimilia habuit.

LXXXVI. Nec tamen hæc ſufficiunt pro aſſerenda Majeſtate; ſubditi quoque operam dare debent. Quos ut pronos & faciles adhoc experiatur, operam dare debet, quiſquis ſecundum Majeſtatem vult æſtimari. Atque, cum Majeſtas ſe ſæpe longe lateque per varias provincias extendat, priuſquam ſubditis præcepta præſcribo, eos, qui Majeſtate præfulgent, aliquid amplius monere debeo. Cujus ergo Majeſtas quã late ſparſa eſt, illi ad ſuorum amorem conciliandum plurimum profuerit, ſi è ſingulis, quibus imperat provinciis, apud ſe habeat, quos morum probitas, vitæ integritas, pietas, longaque rerum cognitio commendat. qui publica

privatis præponant, qui gentis ſuæ res ex fide, ut ſuas, non ut alienas, tueantur. Sic enim ſe demum communem regnorum provinciarumque omnium ſuarum parentem oſtendet, cum pari filiorum omnes loco habeat. Habebit; ſi ſingularum provinciarum negotia per ejuſdem gentis homines pertractaverit. Certius illi & conſilia dare, & damna avertere, & venientibus occurrere malis, & præſentibus mederi, poſſunt: Ut quibus ſuæ gentis bona malaque, rerum copia & inopia, ſecunda & adverſa, ſpes & metus, animorum magnitudo & dejectio, locorum ſitus & opportunitas vires, potentia impotentiaque, ſolique malitia bonitaſque, fœcunditati aut ſterilitati conjuncta, reliquaque notiora ſunt, quàm gentis alienæ, qui præter audita nihil habeat, ac plerumque à rerum locorumque imperitis, adeòque nec audita quidem: ſoliſque non raro conjecturis, in maximarum rerum deciſiones, à quibus provinciarum ſalus interituſque pendet, cæcâ manu, pede, fronte, proſilit. Quid? quod magnam quamdam provincialium animis fiduciam pariat, ſi videant, non ab una tantum gente, ſed ab omni, Principum ſuorum latera claudi: habeantque è gente ſua, in quorum fidentius ſinum, quàm in alienum, ſua depromant. Nec quidquam potentius in amore eſt, quàm ſi Regem ſentiant in domeſticorum delectu patrem. Quibus prælibatis, à parte ſubditorum, ſeptem hæc monita diligenter obſerventur. 1. Ergo ſubditi cogitent ſibi parendum eſſe, illis, quibus à Deo conceſſa eſt Majeſtas. Tali ingenio erat Creon, de quo ſic Sophocles in Oedipo tyranno:

ἐγὼ μὲν οὖν οὔτ᾽ αὐτὸς ἱμείρων ἔφυν.
τύραννος εἶναι μᾶλλον ἢ τύραννα δρᾶν,
οὔτ᾽ ἄλλος ὅστις σωφρονεῖν ἐπίσταται.

hoc eſt: *Ego igitur non tali ingenio ſum, regnare ut ipſe malim, quam imperata facere, atque ita moderatiſſimus quiſque affectus eſt.* Præ cæteris, mi ſubdite, audi Apoſtolum Petrum ep. 1. cap. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei. Subdit: *Deum timete, Regem honorificate; ſervi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtia patiens injuſtè. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis, ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* II. Subditi hoc obſervent etiam, quando principes fuerint impij, injuſti, atque ſuis graves. Privatorum enim officium eſt qualiacunque imperantium ingenia perferre, & contra ea votis ac precibus ſe munire. Qui enim jus gladij non habent, neque eum in anteceſſores, licet tyrannos (qui ut plurimum pro pœna dantur, *Eſaiæ cap.* 10. & 45.) ſtringere, neque iiſdem maledicere poſſunt. *Exod. cap.* 27. *v.* 20. Quare exſecranda ſunt Jeſuitarum conſilia, qui quoſvis ſubditos, in optimos etiam Principes, ad nutum Papæ armare ſolent, meritoque deteſtamur ea, quæ habent *Bozius de Temp. Mon. lib.* 1. *c.* 3. *Roſſæus de juſt. vind. Reip. Criſt. lib.* 2. *Auctor Comment. Eccl. Cathol. Mariana lib.* 1. *de Rege cap.* 6. *Croſvel. adverſus edicta Reg. Ang. p.* 45. Nec quicquam ad rem facit, quod Principes illi à Papa excommunicati, & ſubditi á juris jurandi vinculo exſoluti ſunt. Privati omnes, cujuſcunque ſint ordinis, meditari debent illud Senecæ lib. 2 de Ira cap. 30. Rex, inquit, *ſi nocentem punit, cedendum eſt juſtitiæ, ſi innocentem, cedendum eſt fortunæ*: Id eſt, divinæ providentiæ. Siquidem, ut ait Flaccus lib. 2. od. 1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iovis.

Jam vide quâ apud omnem retrò poſteritatem famâ fuerint, qui auſi aliquid in Principes: intuere modo exitum: nimis orbi noti Brutus, Caſſius, Chærea, Evocatus, Latamius, Camurius, Sulpicius, Florus, Statius, Phocas, Beſſus, Arbogaſtes, Murzyphilus, Arrius, Andragathius, Zimiſces, Odoacer. de Julij percuſſoribus illud Suetonij habemus: *Percuſſorum* (ſunt verba Suetonij) *autem ferè, neque triennio quiſquam amplius ſupervixit,*

vixit, neque ſua morte defunctus eſt. damnati omnes, alius alio caſu periit: pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt. Hocquoque Taciti de Galba & Piſone iterum inculco: *Plures quàm cxx. libellos præmia expoſcentium, ob aliquam notabilem eo die operam Vitellius poſtea invenit: omneſque conquiri & interfici juſſit, non honore Galbæ, ſed tradito Principibus more, munimentum ad præſens in poſterum ultionem.* A Phoca Mauritius, ab Heraclio Phocas manibus pedibuſque truncatis cadit. Leontius Juſtinianum diſſectis naribus exilio damnat; nec multò, poſt Juſtinianæis calcatus pedibus minutatim conciditur. III. Ut principi ſalva ſit Majeſtas, & tu civis ſecurus, prudenter & cautè, etiamſi honoribus, opibus, nobilitate polles, cum Principe verſare. Suſpecta enim omnis magnitudo Principi eſt, & non ſemel ruinæ cauſſam dedit. Senecam ingentes opes mori coëgerunt: Thraſeam nimia virtus, & verborum robur: Oſterium Scapulam peritia militaris magna: plures alios ſola magnitudo, odiumque è magnitudine natum perdidit, maximè ſub malis Principibus. IV. Amplius cave ne beneficia in Principem collata publices: grave tibi eſt ſceptro obſtringi, ac quaſi inferiorem Majore eſſe. Magna beneficia apud Principem invita ſunt: & illos, quibus vicem reponere non poteſt, fere odio ulciſcitur. Nam ita laborat illius Majeſtas: æſtimaturque minor eſſe illo, cui eſt reus debendi. Amplius (V.) cave civis, ne ornatu Principem vincas, ne clientium turbâ: in caput enim hæc fere domini recidunt; & ex æmulatione in ferrum protrudunt, invidentium maximè linguis, qui nunquam deeſſe in magna fortuna poſſunt: atque tales plurimum poſſe ſolent, quod hæc dicant vergere in præjudicium Majeſtatis, quaſi inferiores illa videri cupiant majores & auguſtiores. VI. Secretas verò Principum molitiones, ne curioſiùs diſquire. gaudent ignorari, quæ tegi volunt, & indignantur ſciri. è qua re non levia ſæpè damna nata: fuge noxiam curioſitatem, nocituramque cognitionem devita. Hinc dicitur in libro Apocrypho Tobiæ cap. 12. 6. *Myſte-*

rium

rium regis bonum eſt abſcondere, at opera Dei revelare honorificum. VII. Nemo autem prudens continebit Principem, aut rempublicam metu. ferè enim, Principum ac rerumpublicarum timor in furorem abit & ferrum. Imo ſecreta Principum conſilia, ſi in vulgus innoteſcant, interimento Majeſtatis (velut nimis quam ſecure & negligenter habitæ) ſerviunt. VIII. Si quæ vero ſuperiorum noveris vitia, retice, aut diſſimula; minime prodi: aut domi aut apud exteros prodita, Majeſtati diminuendæ ſerviunt: tibi autem (ſi proditus fueris) certum exitium procurant. Aliter ſcio ſtatuendum eſſe, quando per publicum examen Magiſtratuum (pro dolor! ſæpe intolerandorum) diſcutiuntur vitia. Sed hæc alibi plenius à nobis venient diſcutienda. Interim tantum de his. Simul finio hanc de Majeſtate Diatribam: atque opto, ut ratione Superiorum valeat perpetuo illud Pindari in Olympiacis: ἄλλοι ἐπ᾽ ἄλλοις μεγάλοι: τὸ δ᾽ ἔσχατον κορυφοῦται βασιλεῦσιν. *Alij per alias res ſunt admirandi, ſupremum vero faſtigium Regibus* (ſeu, ijs, qui per delegatam Majeſtatem conjunctim ſunt æquales) *competit.* adhoc voveo, ut ex obſequij gloria æſtimentur ſubditi, quos quâ tales, Majeſtatis quam obſequentes formare laboravi. Poſtremo Deo Triuni, ſit laus & gloria in ſempiterna ſecula: ſiquidem ipſe ſolus eſt *omni virtute viritior, Majeſtate omni major,* ut loquar cum Tertulliano, *lib. adv. Iudæos.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
446 E 135